



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Pars II. de Bonis vitæ religiosæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](#)

dite, crux antennae figatu in frontibus, tranquillitas ista tempestas est.]

Magna igitur sapientia est Domino vocanti non relucari, & in tanto discriminis constitutis, opem ferenti summo mentis ardore cohsentire.

Tu vero, qui iam vocatus a Domino, mundum effugisti, & in fidem patrem, peritos parentes, affectuum intemperantiam, cordis inanitudinem, ignorantiam mentis, turpem nuditatem, bonorum paupertatem, vitorum ignominiam, atque omnia Babylonie pericula deseruisti, totis visceribus, ac omnibus mētis tuo liberatori Deo gratias referre procura, canta carmen Isaiae in honorem illius. Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, (illam, quam ego meis praais operibus edificabam) vibem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit ciuitas, & in sempiternum non adficitur. O rem mirabilem a te, Domine, ex eternitate in bonum nostrum cogitatam, & præordinatam! Propter quod laudabit te populus fortis, ille qui spretus mundi illecebris, se tibi Deo benignissimo conferauit, & ciuitas gentium robustarum, quæ virtus vniuersitatis bellum indicit, timebit te. Quod si iam habitu, & professione seculi virtus, & peccata effugisti, fuge etiam & mente. Nam (vt inquit Ambrosius) Gloriosa haec fuga est, fuge a facie peccati. Sic fugit Iacob, Mater sua dicens. Dixit enim Rebecca: Exurgens fuge in Haram. Sic fugit Moyses a facie Regis Pharaonis, ne eum aula regia coquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretiosius Ægypti diuitiis aestimauit opprobrium Christi. Sic fugit etiam David a facie Regis Saul, & a facie Absalon: Denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & infidulatori percit, & parcidet salutem rogavit. Sic fugit & po-

I. Isa. 25.

Amb. lib.  
de fuga  
facili. c.  
4.  
Gen. 27.  
43.  
Exod. 2.  
15.  
1. Reg. 20.  
1.  
1. Reg. 15.

A pulus Hebreorum, ut fides eius, & vita inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat tristes innocentia, virtutis via, pietatis assumptio. Autem dicere, sic fugit & Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione, qui usque ad Christi ascendit similitudinem, ut fieret typus Christi. Dicit enim: sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit & Filius hominis in corde terra tribus diebus & tribus noctibus. Nam si non fugisset, numquam de ventre ceti esset auditus.

Ne putes te adhuc in tuto positum, si quod statu deseruisti, animo & vita non desereras. Nam haec statu solū, & non operatione reliqua, magis quam in seculo onerant, & vehementius nos in terram depriment. In mundo enim cum possessione terum terrenarum, licet difficulter, tamen saluari possumus, si amori mensuram diuinæ legis ponamus, & modum in mandatis prescriptum non transgrediamur. At in religione, si ab gehenna liberari cupimus, omne dominium, rerumque possessio, omnis carnis illecebria, omnis propria voluntas abiicienda est. Si ergo saluari contendimus, (vt ait Bernardus) a præseuti seculo nequaquam, quid adhuc de hoe mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostros nobiscum trahere laboramus? Ponamus auros esse, sed multò melius est sine his liberari, quam eorum occasione teneri. Non etiam emus præmium; sed impedimentum consideremus, ne prater ipsam, quæ dura fatis reputanda est, conditionis necessitatem, etiam cupiditatis visco inhætere hic incipimus, & inanis sollicitudinis nexibus irretiri. Ad hanc itaque animo abiicienda tantum beneficium diuinæ vocationis, nos moueat, & periculum imminentis, tum inquietudinis, tum amittendæ salutis instiget. Et his malis mundi consideratis, iam bona religiose vita, quæ tantum tetigimus, paulo latius audiamus.

Exod. 13.  
8.

Iona 1.3.

Matt. 1.2.  
40.

Bern. ser.  
de eo quod  
scriptum  
est, beatus  
homo, qui  
audet fa-  
cieniam,  
&c.



## PARS SECUNDA

### De bonis vita Religiosæ.

**B**ON A religiose vita, qui vellet omnia conscribere, id ipsum profecto aggrederetur quod qui intenderet calstellas numerare. Religiosa enim vita celum est, aut immo quoddam cali sanctissima, quam sicut stelle Firmamentum, ita variæ ac immu- mera bona condecorant. Ingressus ipse plurimis bonis plenus est, quæ Deus ad vi- etoriam facili, & comitum eius Diaboli, & carnis, & ad noui hoffpiris in suam do- mum grattere admissi consolationem impertit. Progressus innumerabilibus donis, & occasionibus proficiendi resertus, quibus homo ad vitam puritatem eubitur. Egressus mirabiliter tranquillitate mentis, & abundantissimis ad beatitudinem acquirendam auxiliis cumulatus. Atque adeo, qui niteretur hæc omnia minutatim edicere, prius vitam, et si longam acciperet, & omni alia occupa- tione vacuam, quam scribendi materiam definiret. Quamobrem, ne quod breui narratione dici non potest, dicere presumamus, sola ea vita nostra bona, quæ Sanetus Prophetæ Ezechiel tangit, explicemus. Ille autem sic habet, transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo. Et dixi tibi cum esses in sanguine tuo: Vnde. Dixi, inquam, tibi: In sanguine tuo vnde. Multiplicata quæ germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta, & ingressa es, & peruenisti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit: & eras nuda, & con- fusione plena. Et transui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expan- di amictum meum super te, & operui ignominiam tuam.

*De bonis religiosa vita, & primò, quanta  
benignitate Deus religiosos aspiciat.*

## C A P V T XII.

**A**B his ergo ærumnis, atque miseriis fui-  
mus liberati, cùm seculi diuitias, honores,  
volutaptésque contempsumus, & acceptis  
à Deo gratia pennis, in vitam religiosam  
aufugimus. Quare æquum sanè est, vt tam ingens  
beneficium agnoscamus, & misericordias Domini  
in æternum cantemus. Ita autem misericordia,  
quas Deus in religiosos contulit, ad breue com-  
pendium cedacte, due sunt, vt diximus, à Paulo, dū  
Colossensibus scriberet, recensit. Qui eripuit nos  
(inquit) à potestate tenebrarum, & transit in re-  
gnū filij dilectionis suæ. ] Magnum beneficium,  
quod Deus eos à misera servitute tenebrarum cri-  
puit, & à Diaboli exactoris durissimi exemit pot-  
estate: quo beneficio prædictis omnibus malis sol-  
luntur, sed multò maius, atque præstantius, transit  
illis in religiosum itatum, in regnum dilecti fi-  
lij sui, quod bona ineffabiliter comprehendit. Hæc  
autem bona sub eodem terrena Hierosolymæ typo,  
idem Propheta, & numerare, & elegantissima meta-  
phora explicare pergit. Transiens (inquit) per te.]  
Ab hoc Dei trāstu beneficia incipiunt diuina. Trā-  
sit enim Deus, cùm mētem rebellerem, & peccatis ir-  
ritat, mortis memoria, gehennæ metu, ac horrore  
iudicij tamquam quibuldam telis oppugnat, cùm  
terribibus ac minis aggreditur, cùm internis incre-  
pationibus impedit, & reprobrando ei præpostoram  
vitam, pessimos mores, & annos in vitiis ac peccatis  
consumptos, eam acriter reprehendit. Nōdum Deus  
stat, quia allocutiones ille diuinæ in principio voca-  
tionis non multum durant, sed citè prætereunt. Ti-  
met homo, & tremore concutitur, cùm Deum lo-  
quentem audit, cùm minacem, & iratum considerat,  
sed cœlate voce eius iterum dormit, & falsa securi-  
tate quiescit, & vitæ mutationem nec dū admittit.  
Nondum Deus stat, quia homo mancipium Diaboli  
factus, adhuc indignus est Dei commercio, & societate.  
Stat ille prope iustos, & dilectos suos, protec-  
gens illos, remunerans illos, ab omni periculo de-  
fendens illos, licet ipsi minimè eum videant, & longè  
aliquo distant, esse existimat. Vox sponsæ est,  
non inimici. En ipse stat post parietem nostrum re-  
spiciens per fenestras, propiciens per cancellos.]  
Denique prope est Dominus sanctis, & electis suis  
(inquit Bernardus) etiam cùm longè esse videtur.  
At prope inimicos suos nō stat, sed appropiat vt eos  
voeat, vt ex hostibus amicos faciat, & quandiu in  
perfidia, ac duritie cordis perseverant, citè transit.

Vis videre, quia Dominus non est cum impiis, &  
peccatoribus, sed quām longissime ab illis abest, audi  
di Prophetam Longè à peccatoribus salus.] Et aliud.  
Longè est Dominus ab impiis.] Et rursus aliud, De-  
relinquam populum meum, & recedam ab eis: quia  
omnes adulteri sunt, cæsius prævaricationum.] Itis  
ergo à Domino corde, & voluntate separatis, non  
numquam ipse Dominus, misericordia incitatius ap-  
propriat. Transit per illos non quidem, vt mentem,  
cui appropinquat, vacuam, & egenam derelinquit,  
sed vt ipsa in iudicium non veniat, imò transeat de  
morte ad vitam. Transit ille, vt in transitu cacum  
luto, id est cognitione sue utilitatis, & mundanæ in-  
stabilitatis illuminet, vt sedentem in telonio, perni-  
ciose cupiditatis, ad suam sequelam euocet. Ut tan-  
dem percutiat Ægyptios, id est, seculares curas, &

vanas cogitationes, quæ vincit in Ægypto tenet,  
& compeditam ne opera lateris, & luti deserat, &  
in terram sibi promissam, lacte, & melle manantem,  
id est, in sanctam religionem, configuat. Transit ille,  
vt illud beneficium anima præstet, quod in Isaia scri-  
ptum est. Sicut aues volantes, sic proteget Dominus  
exercitum, Hierusalem, protegens, & liberans trā-  
siens, & saluans.] Nam si aues, vt defendant factus  
suos, nidos superuolant, & siue serpentem, siue ho-  
minem viderint, aut alias aues ad filios suos accedē-  
re, propriæ imbecillitas oblitæ, rostro pugnant, &  
vnguis ita Dominus, vt mundanos vocet, & reli-  
gioles efficiat, non semel, sed sæpe trāst per illos, vt  
a serpente, quæ mordet in silentio, id est, ab occulta  
téte defendat, & ab homine, nempe ab huma-  
nis, & secundum sæculum speciosis rationibus, pro-  
teget, & ab auiculis, nimis, à timidis cogitationi-  
bus, trāst, ne opus admirabilis conversionis im-  
pediant. Transit denique, vt anima in castris sæculi  
militantes ad ipsum celeriter trāscant, quia nisi ipse  
prius trāstaret per illas, & inuitaret illas, ipsæ ad eius  
castra nequaquam transirent. In transitu ergo isto  
magistris verbis inuitat animas, quas ad se trahere  
disposuit, dicens: Transtite ad me omnes, quæ con-  
cupiscentis me, quæ me prætereuntem aspicientes iam  
aliquantulum meam pulchritudinem desideratis, &  
à generationibus meis, hoc est à fructibus meis, ad  
implimenti. ] Hic enim transitus, quo à mundo ad me  
auctorem mundi trāst, non erit inutilis, sed  
ineffabilibus bonis vos ipsas cumulabit.

Transiens autem Dominus vidit animam, quam  
ad tam sublimem staturam vocare decreuit, sanguine  
peccatorum feedat, prauis cupiditatibus impeditam,  
procluem ad omne malum, auersam ab omni bono.  
Vnde in suo transitu ait: Vidi te conculcatum  
in sanguine tuo.] Videre autem eam sanguinis  
infestam, omnique peccatorum genere vitia-  
tam, deberet iram Domini, ac indignationem pro-  
uocare, non tamen ad iram (hæc enim est) Dei no-  
stri benignitas) sed ad misericordiam, ad pietatem,  
ad clementiam allexit. Videt eam oculis illis dulcissi-  
mis, quibus respexit Petrum, non iam nutantem:  
sed planè ruuentem, cùm egressus foras fleuit ana-  
rè. ] Illis sanè, quibus respexit Matthæum vestigia-  
lium rationibus occupatum, cum illo verbo poten-  
tissimo: sequere me, ] excitauit dormientem, soluit  
cupiditate illigatum, adeò ut statim nulla mora in-  
teriecta, surgeret, & sequatus sit eum. Illis denique,  
quibus vidit Zachæum, non iam humili repenterem,  
sed ascendentem in arborem sycomorum, vt iam in  
excelsa constitutus, transeunte posset aspicer. Vi-  
dit istum Dominus, & tantæ devotionis feruore in-  
uitatus dixit illi: Zachæ, felinans descendere, quia  
hodie in domo tua oportet me manere.] Longè ta-  
men maius beneficium hic, nam transiens vidit ani-  
mam conculcatam in sanguine suo, & non devotio-  
ne eius inuitatus, sed tantæ calamitatis miseratione  
motus, eam ad se vocat, & abscondebit hæc verba pe-  
nititus oblita, & a se ipsa alienata intillat. Quia ho-  
die in domo mea oportet te manere.]

Videt ergo Dominus oculis benignissimis ani-  
mam, quam ad se vocare decreuit, licet vitiis, ac pec-  
catis deditam, & solis rebus terrenis occupatam.  
Quia eam respicit, non vt puniat, sed vt iacentem  
erigat, fugientem reducat, maculatam lauet, foedam  
venustet, pauperem ditet, & destructam, ac solo  
æquatam redificet. Circuit Nehemias nocte qua-  
dam urbem Hierosolymam, & considerat calamita-  
tem eius, murum scilicet dissipatum & portas eius  
consuætas igni, & domos desertas, atque destrunctas.]

I. 1. 1. 5.

Eccl. 24.  
2. 6.Meth. 2. 6.  
7. 5.Matt. 9.  
1. 0.Luc. 19.  
3. 5.2. Esdra  
2. 1. 1. 5.

Hoc

Ibid. 3.  
17.Psal. 50.  
16.

Isa. 1.15.

Osea 1.4.

Canticum 5.  
15.Exodus 40.  
16.

Hoc autem fecit, non ut more gentium eam irritaret, & subfannaret, sed ut si posset ad pristinam amplitudinem, ac dignitatem reduceret. Quare his, qui cum ipso erant, dixit: Vos nostis afflictionem, in qua sumus, quia Hierusalem deserta est, & porta eius consumpta sunt igni, venite, & ædificemus muros Hierusalem, & nō sumus ultra in opprobrio. Ita profecto Dothinus circuit animam ad statum religiosum, vocandam, considerat eam conculetam in sanguine suo, id est, sedentem in peccatis suis. Ista enim sunt sanguines, à quibus Propheta emendari postulabat, quando dicebat: Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: ] Quorum feditate Israëlitatum opera erant infecta, cùm audiunt: Manus enim vestra sanguine plena sunt. ] Huc etiam sanguinem se puniturum promittit Dominus per Osæam, dicens: Et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu. ] Non tamen abominatur sanguine impuram, peccatis, & iniquitatibus inquinatum: sed videt eam, vt ipsius misereatur, & ad innocentias reuocet puritatem. Aspicit doctus medicus filiam, quam vnicè amat, grauissimo morbo laborantem, vt compatietur ei, & à morbo, adhibitis remediis, liberet. Cur non Dominus animam peccatricem, quam sanguinis sui pretio redemit, benignè etiam aspiciat, vt eius misereatur, & à morbis peccatorum eripiat? Ita prorsus aspicit, & eius consensu postulato potenter iubet paralyticum discedere, & hominem incolumem surgere, & sublato grabato talenti sui, in quo quasi desperatus surgere iacebat, ad domum religionis conuolare. Vider sculptor trarmor, aut statuarius æs, ex quo sculpturam, aut statuam fabricare dispositus: Vider pictor tabellam apertissimam, in qua redemptoris imaginem delineare statuit: Vider aurifex aurum obrizum, ex quo pulcherrimum annulum ad celandam gemmam pretiosam elaborare cōstituit. Videlit isti materias statuum artium, vident, & exultant se occasionem laborandi, & faciendi magnum lacrum inaenisse. Non multum curant, si matrona sint in luto sepulta, si tabella sit lituris fedata, si aurum sit scoria permixtum, quia sciunt terra obruta extrahere, interlita expungere, & infecta, ac ruda purgare. Sic prorsus Dominus Deus tuus, o anima religiosa, vidit te conculetam in sanguine tuo, non tamen despexit, immo exultauit, & gaudis est, quia aptissimam misericordie sua materiam inuenit. An non materia misericordiae miseria est? Et quid te miserabilis, quam peccatorum reatus ligabit, mūlana desideria suffocabat, & aduersarius humani generis Diabolus vinclat, & compeditam detinebat? Inuenit te tamquam marmoreum lapidem iacentem in luto curarū terrenarum, & in cæno voluptatum impurissimarum, & erexit te, vt faceret columnam Ecclesiæ sue, fundatam super basim auream. Crura enim sponsi dicuntur in canticis columnæ marmoreæ fundata super bases aureas, ] que religiosos significant; nam mundanos homines, vita sua, doctrinæ sustentant. Et basibus aureis innituntur, quia in Dei, & proximi charitate fundantur. Inuenit te tamquam tabulam, innumeris lituris peccatorum infecta, sed lituras expunxit, vt sui ipsius imaginem pingere, & digito suo legem in te perfectionis conserberet. Tabulas quidem illas, que legem veterem scriptam continebāt, Moyses imperio Domini in arca Testamenti, vt illuc feruarentur, collocauit, & te Dominus ipse in arca sanctæ religionis inclusit, ne in sæculo derelictus inter tot occasiones peccatorum periretes. Inuenit denique te tamquam aurum rude, & sordibus affectum, ac passionum infectum, & purgauit

A te, vt es es annulus in manu dextera eius, non sicut Iechonias euellendus, sed in perpetuum custodendus. Ut in ito annulo, gemmam perfectam virtutis calaret, & omnibus, tum Angelis, tum hominibus te opus suum pulchrum, & pretiosum ostenderet. Qui his oculis te vidit, o anima, abique dubio non tibi iratus, & infestus: sed mitis, ac benignus aspergit.

Iero. 22.  
24.Matth. 5.  
18.Psal. 33.  
16.Num. 6.  
27.Basil. in  
Psal. 33.  
in illud,  
inquire pa-  
cem.

B] Vedit Dominus illos duos fratres, quos primò ad dignitatem Apostolatus extulit, non quidem oculis iratis, vt perderet, sed mansuetis, vt saluaret, ad se adiungeret, & ex pescatoribus pescium, hominum pescatores, & prædictores efficeret. Eisdem ergo oculis, o anima, viua es à Domino Deo tuo, quorum aspectu ad hoc te permouit, vt relictis retributis diuinitatibus, & patre, & vniuersis rebus mundanis, eum sequereris, qui te ex pescatrice opū, & voluptatum, in animarum saluatricem conuerteret. Aspexit te, si cut bonus pastor ouem suam, sicut trapezita sapiens gemmam suam; sicut dilectus sponsus spoliam suam. Quia oculi Domini super iustos, & super eos, quos potenter ad iustitiam vocat, vt errat à morte animas corum, & alat eos in fame. ] Aspexit denique, vt ea benedictionem assequereris. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. ] Ad hoc enim vidit, vt à seculi contumacibus, & bellis eriperet, & abundantissima pace, animique tranquillitate cumularet. Hanc autem inter mundanorum turbas, & sollicitudines rerum temporalium, difficile admodum est inuenire. Vnde Basilius: Inquire (inquit) pacem, nimur solutionem à tumultuaris mundi iustus curris, para tibi mentem tranquillam, statimque anima vnum aliquem inquire, qui sit ab omni fluctuatione, ac turbella curarum seiuetus, in quo nulla agiteris vitiosæ affectionis intemperie, quo nullis finis te auelli ac distrahi sectarum opinionibus, quamlibet verisimile ementis persuasione prolixientem te, & inuitantium ad confessionem, vt pacem illam de tibi concilias, omnem prorsus exuperantem sensum, corque tuum custodiens. ] Ad hoc ergo Dominus oculos suos in nos desixit, vt à bellis liberaret, & ad istum pacis statum vocaret.

C O quam appositè de his oculis Domini, quorum aspectu homines ad religionem vocando dignatur, scriptum est: Pulchriores sunt oculi eius vino: ] Si enim vino capti, extra se ipsos ducuntur, omnium obliuiscuntur, nec honorem reputant, nec ignominiam curant, nec consanguineorum, aut sodalium prosperitate gaudent, vel aduersariis contristantur: Oculis Domini capiuntur anime multò potenter, quæ semel benignè conspecte ita se ipsas eleverunt, honorem abiiciunt, ignominiam contemnunt, prosperitate mundi, & aduersitates aspernantur, vt non vino capta, cuius furor citè consumuntur, sed beato quodam lethargo sopita esse videantur. Aut quamdam istarum conspectu Domini ad sapientissimam sobrietatem traductarum animam dico Beatissimi Ephræm Syri, ita in suo testamento mundi gloriam conculcantis. Nulla (inquit) Ephræm cecineritis carmina, nullaque latitudinem adhibueritis. Ne me cum pretioso sepieleritis vestimento, ne ve priuatim corpore meo constitueritis tumulum: mihi enim cum Deo conuenit, vt inter peregrinos commorer. Aduena quippe sum ego, & peregrinus, sicut otantes patres mei. ] Quis ambigat istum dormire seculo, & rebus mundanis veluti ebrim existere, Deo vero satis sobrium, atque perwigilem, qui tam confanter humanam gloriam aueratur, vt diuinam inueniat, & terrenam laudationem fugit, vt inter beatos Spiritus constitutus aeternam laudem

Ephræm  
in testame-  
to.

*Genes. 6.  
18.  
Genes. 19.  
17.  
Exod. 12.  
51.  
Daniel. 3.  
Cät. 4. 1.*

mereatur? Hoc faciunt oculi Domini splendidiores vino, qui animam illustrantes immenso lumine sapientiae perfundunt, quo honoris mundani vilitatem aduerat, & à febus caducis ac perituri alienant. Pulchriores sanè oculi eius vino, quia vinum homines à sana mente in insaniam transfert, oculi autem Domini ab horrore tenebrarum in luminis locum traducunt. In illum (inquam) locum, in quo mundus pro Deo deseritur, bona vilissima pro pretiosissimis relinquuntur, Domus angustiae pro regia voluptatis aula commutantur. Hi oculi sunt, qui nos dissimilantes inuitarunt, ut properaremus exire sicut Noe de tempestate diluvij ad quietem arcae: sicut Loth de incendio Sodomae ad refrigerium montis: sicut Israëlitae de captiuitate Aegypti ad libertatem terra promissa, & sicut pueri hebrei de fornicatione Babylonica ad locum, quem fecit Deus quasi ventum roris flantem. Hi oculi sunt sicut columba super riuiulos aquarum, quæ lacte sunt lota. ] Columba namque felle carens, riuos aspiciens aquarum, & lacteo colore, ac suavitate fufula, quid mirum, si oculos Christi designet, qui neque alpestrum peccatorum nostrorum, ad itam permouentur, nec miserationis suavitatem amittunt, nec se ab aquarum riuiulis auertunt, id est, ab exiguitate nostra, quæ semper instar aquæ decurrit, & numquam in eodem stptu subsistit. Vidi te, ô anima, Deus tuus, vidi te, non pulchram, sed deformem, non mundam, sed turpem & conculetam in sanguine tuo: & simplicitate, ac mansuetudine columbina respiciens, non est ira commotus, nec indignatione perturbatus, sed misericordia dulcedine tactus intrinsecus, quod sequentia Ezechielis verba demonstrant.

### De vocatione religiosa, & quod homo beneficio eius vocetur ad vitam,

#### CAPUT XIII.

*Ezech. 16.6.*

T dixi tibi ( inquit ) cum esses in sanguine tuo, Viue. Dixa, inquam tibi in sanguine tuo; Viue. ] Hoc est primum religiose vita beneficium, quæ à divina vocatione exordit. Divina vero vocatio nulla alia voce commodius explicari potuit, quam hoc verbo, Viue. Nam cum quis ad religionem vocatur, à fauibus mortis eripitur, & vocatur ad vitam. Nam in seculo, Christo moriebatur, & morti viuebat, dum omni sceleri, & iniurianti habendas suæ cupiditatibus laxabat: in cætu autem eorum, qui se Deo consecrarent, morti moritur, & Christo, qui est vera vita, viuit, cum virtutis, ac iniuriantibus abdicatis operibus vite, scilicet virtutis, & sanctitatis actionibus vacare contedit. Sed qua ratione Dominus eos, quos amat, vocet, & ad vitam religiosam trahat, attenta est consideratione videndum. Sunt enim homines vitam sacerularem agentes, si praus cupiditatibus gubernentur, tamquā ossa arida, nullo spiritu vigore fulcita, nullo carnis, ac neruorum vinculo copulata, nullo curis operimento coniecta. Neque spiritum gratiae habent, quia peccatis se subdidierunt, nec charitatis nexum, quia propria commoda (nulla habita proximorum ratione) intemperanter quaesierunt, nec virtutis operculum, quia eam à se vitiis ac criminibus abdicarunt. Dominus autem, ut eos vocet, vnicuique ipsorum dicit, Viue. ] Clamat certe voce grandi, illa, inquam, voce, de qua scriptum est. Vox Domini in

A virtute, vox Domini in magnificètia. ] Intonat voce virtutis & dicit. Ossa arida, audite verbum Domini. ] Fugite de medio Babylonis, & saluet vnaquisque animam suam. ] Et tunc quidem, ecce commotio, & accedunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, & ecce super ea nervi, & carnes ascendunt, & extenduntur in eis cutis desuper, & ingreditur in ea spiritus & viuunt, & stant supra pedes suos, exercitus grandis nimis valde.

Primò adest commotio, cùm ij, qui vitam religiosam sunt aggressori, à somno vitiorum excitantur, in quo facebant penè sepulti, & de novo vita generante lestant, meditari incipiunt. Secundò, accedunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, cùm institutum sibi accommodatum, & à diuina prouidentia præordinatum, accipere statuerunt. Tertiò, fortitudinis nervos acquirunt, quibus mundo blandienti, & itatus mutationem impudenti, resistunt. Item molli carne vestiuntur, secundum illud. Aufiram à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. ] Quo spontaneè & sine villa difficultate, quæ suscipiebant, contemnunt, quæ amabant, relinquit. Deinde, cùte prudentia se conregunt, quæ concepta defideria à consanguineis & amicis, ne clament, & perstrepant, sapienter abscondunt: postea spiritu amplioris gratiae viuiscantur: (nam omnia, quæ hucque diximus, gratiae sunt) & illo ditati negotium bene consideratum, & impensè commeditum gaudier aggrediuntur. Ac rursus viuunt, cùm omnia, quæ mortem afferebant, in ipso ingressu religionis, per veram detestationem defertur, & modo viuendi placido, atque tranquillo se metipsos subiiciunt. Et tandem stant supra pedes suos, imò & super omnia terrena & visibilia per contemptum mundi, constiunt exercitus grandis nimis valde, qui possit alios vita suæ imitatione, & efficacia verbi à morte liberare, & ab hostiis incurssione defendere. Hac omnia facit Dominus verè magnus & potens cùm animabus in sanguine suorum vitiorum iacentibus, dicit, Viuite.]

Audita hac voce, Viue: ] quia abducuntur à morte, & inuitantur ad vitam, sine dubio viuunt, quia à corruptione peccati liberantur, à morte vitiorum suscitantur, & natali quodam spirituali nascuntur. Nasci quippe est, veteres mores descrevere, & novos afluxere. Nascitur homo (inquit Bernardus) quando Sol iustitie ortus in animo peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei iudicium internis obtutibus offert, addens ad terroris vinculum breuem diarium numerum, & finem incertum. Hæc planè vespera est, ad quæ demorabitur fletus, & necesse est addi matutini lætitiam, ut auditam faciat nobis misericordia suam: sic enim fit vespera, & mane dies unus. Est autem dies ista iustitia, reddens vnicuique quod sibi est, nobis miseriorem, misericordiam Deo. In hac die puer nascitur, quando ex his, quæ diximus, ad amorem penitentiae, & odium peccati animus excitat. ] Vbi autem hæc nativitas cum magna tranquillitate habeatur, subdit, dicens: sed periculum est si forte velit inter saeculi turbas agere penitentiam ubi nimis alijs veleat in persuasiōibus, alijs vndique exemplis peioribus ad peccatum allicant; alijs adulatioibus in vanam gloriam, alijs detractionibus in intemperantiam animum eius deiciat. Præcedat iam necesse est prudentia radius, ostendat quantas, & quæ importunas (præsertim in hac generatione nequam) opportunitates, & occasionses peccati offerat mundus, & ingerat: quæ debilis sit ad illas humanus animus, maximè qui in peccati consuetudine sit nutritus. In hac ergo die prudentia eligat de

*Ezech. 37.4.  
Iere. 51.6.*

*Ezech. 19.*

*Bern. ser.  
3. de cir-  
cum.*

præsenti

*Psal. 20.  
4.*

*Psal. 25.* præsentī sæculo nequam fugere, dicens cū Prophe-tia, Odi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.] Et optimè sanè vocat istum prudentię diem, in quo homo ad conseruandam vitam animæ, religiosam vitam, & ab illecebris sæculi auillam assumit. Quoniam si prudentia est ea cognoscere, quæ utilia sunt ad finem, & cognita eligere, & ele-cta, ut executioni mandentur, constantes præcipere. magna certe prudentia est volentis ad gratiæ vitam peruenire, aut iam adeptam, integrum illibatamque seruare, si sæculum fugiat, si Ecclesiam malignantium odio habeat, si cum impiis ac peccatoribus non sedeat, inter quos vitam animæ non facile quis assequitur: adepta vero magnopere pericitatur. Huic sine dubio conuenit illa Davidis laus: Beatus vir qui nō abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedid. Quoniam ab impiis, & peccatoribus se sub-trahens, & inter iustos, sanctos, & simplices se ipsu-abscondens, utique neque sedebit, neque stabit, neque ambulabit cum impiis peccatoribus, & pesti-lentibus, quorum doctrina, consilio, & exemplo homines à vita studiosa, quæ vera vita est, avertuntur & ad vitam vitiosam, quæ verè mors est, incitantur.

Hæc igitur fuga sæculi, hæc diuinæ vocationis auditio, hæc huius vocis acceptio, qua dictum est animo; Vnde, est natiuus perseverans, qua ceperit vivere Deo, ut si velit, facillime iam numquam ipsa moriatur. Nam in sæculo nonnumquam sanè Deo viuitur, dum quis peccatis valedicit, & pœnitentia gemitis sufficitur, tamen hæc vita, quia multis subiecta periculis, negligenter ac incuria hominum interrumptur, sape, & pro spirituali morte com-mutatur. At in cenobio animæ vita multò conser-vatur facilius, cum occasionum ademptio, regulari-instructio, clamores senuum, exempla seruidorum, prelati cura, & ipsa vocationis gratia, eam tueatur, atque custodiat. Certe in mundo moritur: omnia enim, quæ oculis aut auribus percipimus, mortem ab conditam, & inuolutam afferunt: & in religione vivimus, quia vniuersæ actiones eius, vitales sunt, & vniuersa, quæ sensibus ingerit, qualia sunt, ciborum parcitas, indumentorum alperitas, orationum iugitas, & frequētia correctionis, instigant ad vitam. Cum ergo quis ad religionem vocatur, ad vitam vocatur, & à Domino illi dicitur, Vnde? An non est vita status ille, quo mēs nutritur auxiliis, augeatur meritis, & vi- apta sit generadis in Christo filii, potens efficiunt? An nō est vita modus ille viuedi, cuius cultores pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discrip-tionem boni, & mali, qui inter bona, & mala, sensu-spirituali, discernunt, ut ista vitent, illa amplectantur, & inter maiora, & minora bona, ut illa eligat, & minoribus bonis præponat? An non est vita, vbi re-peritur affidus in cælum motus, & gressus nostri non in miseriā, sed in felicitatem diriguntur, vbi intelligētia ab ignoratione purgata, & a distractio-nibus expedita, diuini luminis claritate perficitur? Denique nōnne vita dicenda est, in qua celestis ci-bus offertur, amaritudo abnegationis dulcescit, & pacatus somnus, id est, interna securitas, inuenitur? Sed hæc religionis propria sunt.

*Indub. 5.* Quadrat re vera in eius professores illud, quod de Israëlitis dicit Achior. Egressi mare rubrum, deserta Sina montis occupauerunt, in quibus numquam ho-mo habitare potuit, vel filius hominis requieuit. Illic fontes amari obdulcenti sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo con-secuti sunt. Vbicunque ingressi sunt sine arcu, & sa-gitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugna-

A uir pro eis, & viceit, & non fuit qui insultaret populo isti. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suū, alterum coluerūt, dati sunt in prædam, & in gladiū, & opprobrium. Longum esset cætera tecētare, quæ religiosis ordinibus nō esset difficile accommodare, sed ut, quæ proposito magis conueniūt, attingamus, contenti erimus, quædā ex ipsis, maximè ad religio-sos spectantia, qui deserta huius mundi petierunt, iuxta sensum mysticum illis explicare. Hī enim non contenti māre rubrum traecliffe, id est, (ut interpretatur Origenes) gratiā baptismatis inuenisse, deserta montis Sina, id est, statum religiōsum occupant: illo Psalmographi verbo delectati. Ecce elogauit fogiēs, & manū in solitudine. Expectabam eum, qui saluim me fecit à pūsillanimitate spiritus & tempestate. Illa quidem deserta à malis, & plena bonis incolunt, in quibus homo numquā habitare potuit, ille scilicet, qui humanos affectus nō abnegat, & prauas cu-piditates non relinquit, & in quibus filius hominis, carnales patres non deserit, ut possit dicere: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Dominus autem afflūpsit me.] Nec mirū esse debet, quod nūc religiosam vitā desertum appellē, cū supra sæcu-lum desertum vocauerim, quoniam (ut egregiè dixit Richardus Victorinus) est desertum aliud bonum, aliud malum: Desertū malū est, vbi desunt germina virtutū; desertum bonū, vbi longè sunt tumultus vitorū. Desertum est, & malum desertum, vbi nulla cultura hominum, vbi nullū est sanctitatis vel reli-gionis studium. Itē, desertū est, sed bonū, vbi nullus strepitus tumultuationis, sed in silentio auditur vox turturis, & gemitus non cessat ex desiderio diuini amoris. Desertum igitur malū est, vbi desunt deside-ria cælestia, desideria spiritualia. Desertū bonū, vbi procul desideria sæcularia, desideria carnalia.]

D Est ergo sæculum, desertum malū: religiones autē, deserta, & solitudines bonæ, in quibus ea desunt, quæ anima possunt officere, & ea abſūdant, quæ pos-sunt salutē veram, & desideratam puritatem afferre. In his solitudinibus pingueſcent religiosi, tamquam speciosa deserti, & exultatione tāquā colles accin-gentur, quia fontes amari propria abnegationis, & corporalis afflictionis fibi dulcescunt, & pane de ca-relo allato reficiuntur, qui nihil aliud est, quam omnis virtutis exercitatio, & diuinæ consolationis assecu-tio. Ibi etiam tamquam in lecto securi quiescent à meru paupertatis, & ignominiae, & ab aliis sollicitudinibus elongati, quia non timent, quod amant, & quod totis votis exoptant. Quare optimè dixit Ber-nardus. In Ecclesia quidem lectulum, in quo quiete-rit, clauſtrum existimō esse, & monasteria, in qui-bus quiete à curis viuitur sæculi, & sollicitudinibus vita. Atque is lectulus floridus demonstratur, cūm exemplis, atque inititūs patrū, tamquā quibusdam bene olentibus resperga floribus, fratrū conuersatio, & vita refulget.] Lectulus planè est vita religiosa, & lectulus floridus: lectulus, quia religiosi in eo non tā-tum quiete viuent, verū & calore spiritus tepeſcunt: floridus verò, quoniam humilitate, paupertate, casti-tate, obedientia & aliis Sanctorum patrum virtuti-bus exornatus, ita in se quiescentes allicit, ut num-quam ab eo velint discedere, neque ab ea quam percipliunt, suavitate elongari.] Status hic, cui prædicta bona tam propria vita iucundæ, & tranquillæ, in-sunt, iure optimo dicitur vita, & cūm ad eum, o ho-mo, vocatus es, dictum est tibi, Vnde? Et auctum est beneficium, & misericordia cumulata, quod cūm concilcaretis in sanguine peccatorum, non est tibi iracundè dictum: Moretē nec es in locum poenarum deiectus, sed est tibi misericorditer inculcatum; Vi-

*Orig. Ia.  
5. in Exo-dum.*

*Psal. 54.*

*Psal. 26.  
10.*

*Richard.  
in Ps. 28.*

*Bern. fer-  
3. 6. incā.  
Psal. 4. 9.*

ue:qua voce Dei,es mirabiliter translatus ad vitam.  
Sed si cùm vocamur ad religionem, in vitam adducimur, quare mortui, & non potius viventes appellamur? Nam Gregorius religiosos mortuos, & nō vitam agentes, vocat. Sunt (inquit) nonnulli infirmorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquent, qui se rebus habitis nudant, gloria honoris expoliant, h̄abere de exterioribus consolationem nolunt, qui internis gaudiis, dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeas delectationes necant. Talibus nāmque per Paulum dicitur: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cū Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. ] Si ergo vitam religiosam ad hoc suscipimus, vt vitam nostram deseramus, ad mortem potius trahimur, nec dictum est nobis, Viue, vt de morte transeamus ad vitam. Imò potius hoc ipsum mori, & nos mortuos vocari, manifestum indicium est in aliam vitam præstantiorem, & non fictam, sed veram træferti. Nam sicut in naturalibus, lignum corrupitur, vt ignis generetur, & granum fragmentum moritur, vt ceterum auctum & multiplicatum viuat, vnde in huiusmodi transmutationibus duplex semper intercedit mutatio altera, qua amittitur aliquod esse imperfectum: altera qua acquiritus esse perfectum: ita in hac religiosa vocatione, homo sæculo moritur, & ob hanc causam, mortuus vocatur, sed viuit Deo, vt non mortuus, sed potius viuens appellatur. Est ergo religio quædā suavis, & pretiosa mors, qua religiosi moriuntur sæculo, vt Deo viuant, ac cælestibus desideriis. Omnino felix mors (ait Bernardus) qua sic immaculatum seruat, inē penitus alienum facit ab hoc sæculo, sed necesse est, vt qui non viuit in se, viuat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus: Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus. Ac si diceret: Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo, si qua verò sunt Christi, hæc viuum inueniunt, & paratum. Nam si non aliud possum, saltem sentio placet, quod ad eius honorem fieri video, dispendient, quæ alteri sunt. Esto ergo quod vita religiosa sit mors, sed mors qua vitam carnis eximus, vt vitam spiritus induamus: mors, qua sensus & affectus inordinatos deponimus, vt operibus internorum sensuum, mētis & charitatis actibus occupemur: mors, qua mundum istum corruptibilem id est, seculi huius molestias & curas relinquimus, vt alterius mundi potioris & incorruptibilis, nempe spiritualem & perfectæ vitæ habitatores simus: Quid mihi si quod de se putridam est, hac morte putrefact, & quod vanum est, abeat, & quod vitiosum est intereat, dummodo vera bona & solida & pretiosa salua permaneant: Cū etiam si possent vtraque simul existere, melius sit illis carere, & ista sola possidere, reiectisque incommodis sæculi, solis veris bonis abundare? Quid hac morte pretiosus? Quid vilius? Quid suauius inuenitur? qua homo ea, qua molestiam adserunt, nec aduentur, nec sentit, ea verò, qua spiritualem voluptatem, ac tranquillitatem tribuant, tamquam verè viuens, percipit, & in augmentum perfectionis aduertit?

Hec est illa bona, & pretiosa mors, de qua inquit Ambrosius: Nōnne vnuſquisque in hac vita positus specie mortis imitatur, qui potest ita se agere, vt ei moriantur omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam ipse moriatur? Sicuti mortuus erat Paulus, dicens: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. ] Deni-

Gen. i.  
mort. c. 15.

Coloff. 3.  
3.

Bern. ser.  
7. in qua  
drag.  
Ad Gai.  
2.20.

Amb. lib.  
de bona  
mort. c. 3.

Ad Gal.  
lau. c. 6.  
14.

que, vt sciamus, quia est mors in hac vita, & bona mors horatur nos, vt mortem Iesu in corpore nostro circumferamus. Qui enim habuerit in se mortem Iesu, is & vitam Iesu in corpore suo habebit. Operetur igitur mors in nobis, vt operetur & vita. Hæc igitur mors, qua sæculo morimur, vitam veram non tollit, in dō cam infert, atque adeo nobis mundō morteis, à Deo potentissima vox dicitur, vt viuamus, & à morte transeamus ad vitam.

Qui ita moriuntur, audiunt ex ore Pauli: Mortui estis, sed vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. ] Mortui sūt hi deliciis, mortui diutius, mortui vanis amicitiis, mortui mūdānis follīcūdīnibus, ac desideriis. Hanc autem mortem admiserunt, nō quia mors est, sed quia iter ad vitā est: non vt mortui perseverent, sed vt in meliorem vitam resurgent non vt maneat sine vita, sed vt securam habeant vitā, possidētes eam absconditiā cum Christo in Deo. Moriūt religiosus male & carnali vita, vt viuā spirituali & bona. Quid enim prohibet, si illi accommodemus, quod idem Apostolus, astrēs carnis resurrectionē, affirmauit: Seminatur in corruptione, surget in incorruptionē, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute, seminatur corpus animalē, surget corpus spirituale. ] O quoties hāc resurrectionē mirabilē in fratribus nostris cōspeximus! Cōspeximus, & eius causa Deū totū corde laudauimus, vidēces, quia ipse vita, & mortis habet imperium, mortem animā pellens, & vitā spiritualem attribuens. Nam si ingressus in religionem, veluti quædā hominis seminatio est, qua teritur, vt mundo mortuus, Deo reuiuiscat, & fructum spiritualem afferat. Quis nō vidit saepe feminari hominem vitiiis corruptum, & post non multos dies, virtutum incorruptionem acquisiuiss? Quis nō vidit seminari hominem affectuum vilitate ignobile, & mortificationis exercitio, viles affectus cohibusse, & gloriam cælestium desideriorum comparasse? Seminatur homo infirmus, qui existimabat le precepta seruare nō posse, & subito fortis eaudit, nam, & precepta custodit, & onus regula facile sustinet. Seminatur tandem animalis homo, non percipiens ea, qua sunt spiritus Dei, & surgit post paucos dies vir spirituālē, omnia diuidicās: qui inter malum, & bonum, bonum & melius, oculo discretionis discernit, vt semper meliora optet, & ad perfectionem aspiret. Quidnam est hoc? nī quod religiosa vita interitus est, & resurrectio mors & vita est, mors sæculi, & carnalium affectuum, & resurrectio in vitam spirituālē, atque perfectam, qua vitā cælestis imaginem præferat? Bene ergo cum religionem ingredimur, vocamus ad vitam.

Ex hoc autem eliciamus oportet, nos qui hanc vocem Domini audiuimus: Viue: & ad vitam religiosam admisi sumus, debere omnīdē caras rerum terrenarum deserere, mundo mori, & soli Deo, ac desideriis cælestibus viuere. Nam quid magis praeposterum, quam quod religiosus viuat sæculo, cui mortuus est, & moriatur virtuti, & sanctitati, cuius vitam affectavit? Quid miserius, quam eius mortis, cui renūciavit, occupationes suscipere, & eius vita, quam appetiuit, studia renuere? Quid calamitosius, quam mortuum mundo, numquam resurgere, & ad vitam spirituālē, qua vera vita est, non euolare? Mortui sæculo sumus, (inquit Ambrosius) quid adhuc sæculo deseruimus? Mortui sumus cū Christo, quid adhuc vitæ huius actus requiri mus? Mortem enim Christi in corpore nostro circumferimus, vt & vita Christi in nobis manifestetur. Non ergo iam nostram illam vitam, sed Christi vitam viuimus, vi-

Coloff. 3.  
3.

1. Cor. 15.  
43.

Amb. li.  
de fuga  
sæculi c. 7.

tam innocentia, vitam castimoniam, vitam simplicitatis, omniumque virtutum. Cum Christo resurreximus, in ipso vivamus, in ipso ascendamus, ut serpens calcaneum nostrum, quod vulneret, in terrenis reperire non possit.]

Qui ergo hanc mortem, & hanc vitam profiteris, morete actibus mortis, qua mortuus es, & viue vita, qua habitu & professione viuis. Quis adeò despit (ait Chrysostomus) vt mortuo corpore, corpori se-pulto, aut famulos coemere, aut ædes struere, aut pretiosa indumenta comparare cupiat? Et, vir similitudinem ad propositum perficiam, Quis adeò infans est, vt viventi corpori, nec cibum, nec vestem, nec domum parare studeat? Hoc autem tu facis, dum in religione positas, non spiritualiter, sed carnaliter viuis. Et enim tu veluti duo, quoniam alter mortuus est sacerculo, alter vero viuit Christo. Sed illi mortuo, vel (vt clarius loquar) tibi mundo mortuo, mundana sollicite queris, delicatos cibos, pretiosas vestes, pecunias, & equos, & apparatum secularem paras, honores, laudationes, applausus, & dignitates conqueris, & tibi viventi iam Christo, nec orationis cibum parare, nec virtutum vestes affluere, nec domum cordis tui, in qua pacate habites, ædificare studes.

Et hic miseriam illa à Salomone animaduersam conspicio. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines; vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest anima sua ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.] Hoc malum sub sole est, neque enim usque ad te peruenisset si supra solem, & super omnia mundana tuos affectus (vt decebat) & cogitationes attolleresset; & frequens apud eos, qui ac si essent homines de prudenter, ac rerum pertinacia iactant, quibus te ipsum adiungis, eo ipso quid mundum reliquisti. Hoc autem malum, & hæc miseria tibi evenit, si in religiosa vita seculares adhuc retines mores. Tu es enim ille vir, cui Deus diuitias, substantia, & honorem contulit, & ob magnam negligientiam tuam, videnti his bonis non habes potestatem. An non diuitiae sunt, & maxima, ingentia illa beneficia superioris commemorata, quæ in statu religioso continentur? An non diuitiae sunt alia dona cælestia, quæ iam explicare pergitus? An non diuitiae sunt auxilia illa divina, omnibus religiosis in communi prærogata, quorum præsidio alij fratres tui profecerunt spiritu, & ad magnum perfectionis gradum peruererunt? An non est ampla substantia tot perfectiorum exempla, quæ te instruunt, adiuvant, & ad imitandum instigant? An non est honor ille, qui magnatum, & regum honorem excusat, quo vniuersi te prosequuntur, quia viri spiritu-  
lis habitum gestas? Num verum non est nihil tibi deesse, vt fandè viuas, & virtus ac peccata tua funditus perdas? Et tamen laqueis tepiditatis illigatus, has omnes diuitias habes otiosas, quas extraneus, id est, Diabolus, deuorat, dum eas inutiles ac infructuosas in te esse considerat. Ita sunt diuitiae conseruatae in malum domini sui: de quibus sic per Salomonem locutus est Dominus. Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiae conseruatae in malum domini sui. O infirmitas periculosa, o languor pessimus has veras diuitias possidere, quibus iusti vitam beatam mercantur, & illis non vitam sed ignominiam, & vitæ spiritualis discrimina, propriam salutem non curantibus parata mercari. Quoddam genus languoris est, quo cibi saluberrimi stomacho in-  
gesti in pessimos humores conuertuntur, qui natu-

Chrys. ad  
Col. 3. ho.  
7.

Ecccl. 6. 1.

Ecccl 5. 12

ralem colorum obruunt, & paulatim vitam eripiunt. Talis est ægritudo avaritiae, quæ dum avarus multas diuitias deuorat, & numquam liberaliter erogat, in duritiam & immisericordiam commutat. At hæc infirmitas est multo nocentior, quia dona Dei tam magna in sudaria tepiditatis ligantur, nec, vt merita cumularent, ad mensam attulisti, quanto pugis est meliora & pretiosiora suo emolumento priuare. Vide ergo tu qui religiose vocacionis possessor es, ne eam seruas in malum tui. Quod autem si hoc malum, audi: Iudeis non excipientibus Christum, dictum est, Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitus genti facienti fructus eius. 1 Nominis autem regni Dei, Dominus vel scriptum, vel Ecclesiast. vel lacra Scriptura verum lensum intellexit. Hoc ipsum erit malum tuum si spiritualibus hominis diuitiis negotiari contempleris. Nam fortè Christus ipse te defteret fortè, si non ex Ecclesia, & ex securissima eius arce, nempe ex statu religioso deturbabit: fortè à luce rerum spiritualium, qua sufficiatur, eiiciet. ] Si ergo audisti a Domino te vocante hanc vocem; Viue, ne amplius factore vitorum, & squalore peccati fordefcas, sed viue tamquam inuitatus, & adductus ad vitam.

*De auxiliis gratia homini in vita religiosa attributis.*

CAPUT XIV.

**V**ITA hæc, quam statum religiosum suscipientes aggressi sumus, non est vita honorum indiga, sed opum, ac dominorum cælestium fati abundè referta. Cū enim sit veluti palatiū regale, & domus magni Dei nostri, quæ verus Salomon Christus extruxit, & cōficerant ad adolendū creationis incensum corā Domino, & sumigāda sanctōrum desideriorum aromata, & ad propositionem panū, hoc est, bonorum operum, sempiternā: quæ quā erat, vt famuli, seu aulici huius domus Dei, quales sunt religiosi, nō essent pauperes, id est, spiritualibus bonis carētes, sed diuites, qui huiusmodi bonis, ac diuinis donis affuerint. Has autem spirituales opes Dominum animæ religiosæ largiter suppeditatæ, verba sequentia sub-indicant Multiplicatam (inquit) quasi germe agri dedi te, & mul iplicata es. ] Hæc multiplicatio diuitias amplissimas, id est, gratia subtilia, quæ religiosi dantur, significat. Statim enim atque Deus aliquem in hunc præstantissimum statum adiuitit, instruit illi amplissimam domum, parat speciosissimam supellectilem, tribuit copiosas diuitias, vt tamquam filius regis habeat, non tam quod liberaliter insumat, quæ quod gaudia cælestia lucretur. Harum diuitiarum nomine, quibus anima Deo dicata multiplicatur, gratia auxilia, & influxus intelligi: Sunt quippe, non solum comites, sed etiam omnium actionum virtutis ac vniuersae perfectionis exordia. Taceo nūc illa manente affectionem, animo infusam quam gratia nūcupamus, quæ nō efficit Dei amicos, dīmāque natura consortes. Prætero virtutes, tum intelligentiae, tum voluntati tum appetitiū inditas, sodales, & pedissequas gratia, & charitatis. Sola illa gratia auxilia commemoro, quæ in actione consistunt, & meritū appellaverim actuosa, quia animum mouere, & instigare nō cessant, vt in dies meritis crescat, & virtus proficiat. Huiusmodi autem sunt afflatus quidam diuini, qui intellectum illustrant, & suauiter de bonis erudiunt, & cuiusque rei

1. Paral.  
2. 4.

Ezecl. 16.  
17.

aut valorem, aut vilitatem aperiunt, incitationes, & promotiones voluntatis, quæ ipsam roborant, instigant, & ad opem perfectionis inflammant: vires, & velut nerui ipsi corpori adieci, ut imbecillitate seposita, onera disciplina religiose & abstinentiae, ac vigiliarum, & aliorum laborum afflictionem supportet: ac tandem subsidia, prout cuique opus est, à Christo redemptore nostro mirabiliter attributa. Nam egregie dixit Basilius. Omnis naturæ, tum in hac creatura visibili, tum in intelligibili, ad hoc, quod consistat, Dei cura agentis, conditor est Sermo, videlicet benignus Deus, quantum cuique opus est opem distribuens. Varia quidem & omnis generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio iuuantur, vnicuique tamen congrue, iuxta necessitatis modum, auxilia dicentur. Eos, qui in tenebris ignorantiae detinuntur, illuminat; propterea lumen verum dicitur. Iudicat, iuxta operum dignitatem remetens præmium, ob id iudex iustus dicitur: Pater enim neminem judicat, sed omne iudicium dedit filio. Ergo ruina, qui est sublimitate vita ad peccatum delapsi sunt, ob id vocatur resurrectio. Omnia autem facit, contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans. Pascit, illuminat, alit, deducit, medetetur, erigit. Quæ non sunt, ea facit ut sint; condita conferuat. Quibus optimè exponit, quid nomine auxiliaris gratia, aut diuinorum auxiliorum, Doctores intelligent. Omne scilicet illud, quod per Christum Salvatorem nobis datur, ut a peccatis surgamus, ut mentis cætitatem pellamus, ut in bono incipiamus, progrediamur, & perseueremus.

Hæc autem auxilia, quanta sunt, & quam abunde religioso tribuantur, quis sufficiet explicare? Certe hoc attende cogitans, dicere cum Salomone compellor, Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti. O quantus Thesaurus sapientiae in mente iusti abditus, quo repente diues bonorum sensuum efficitur, & aurata mundi pellem agnoscit, & quam alij tantopere exoptant, ipse ut vilissimam ridet, & contemnit! O quam suave deuotionis oleum in iusti voluntate reconditum, nam eo tamquam strenuus pugil inunctus, in laborum certamine persistat insuperabilis! O quantis & quam assiduis praesidiis anima religiosa roboratur, cuius stupenda mutatio, & tam breui tempore facta, illa auxilia, aut nescire, aut non planè videre, minime sane permittit. Post non multos dies, quod quis religiosum habitum induit, quam sibi ipsi dissimilis inuenitur! Delicatus adolescens, & inter delicias, & voluptates enutritus, qui laute & opipare vescebatur, & mollissimas vestes inducbat: iam cibis insulsis, & male apparatis vesctitur, immo ipsa inedia & fame reficitur, & vilissimo sacco, aut asperrimo cilicio tectus, hilaris & latus incedit. Voluptuosus, atque illecebris suæ carnis addictus, iam honestatem amat, carnem flagris, vigilis, & ciborum parcitate domat, & omnem sensum voluptatis exhorret. Ambitus, & honorum, & mæ. ac dignitatum cupidus, iam pedibus proteri, & conculcati appetit, ignominiam amplectitur, & vilia obsequia, abiecta seruitia, & humiles functiones, non erubescit. Opum & facultatum auidus, cuius pecunia sitis uniuerso hojus novi orbis auro & argento satiari non poterat, iam pauperima tunica, & tenuissimo yvens filium apparatu, expleta est, & libellū, aut stylū, aut aliquid simile in celia superflū habere, ut immane crimen deuitat. Antea otiositate dissolutus, iam semper occupatus inuenitur. Loquax silētij censurā amplectitur: iracundas, tamquam onis mansuetas, nec prouocatur iniuriis, nec lassitudine contumelias, nec conuictis irritatur.

Rafit. lib.  
de Spiritu  
sancto c. 8.

Ioan. 5,  
22.

Prov. 21,  
20.

A Hæc externa sunt, sed quis internam animi mutationem intelligit? Quam dissimiles cogitationes, quam dispara actudia, quam aliæ voluntates mentem religiosi occupant! Quid cogitat? An quomodo ditecer? An quomodo fecit corpus ornabit, & voluptatibus ac deliciis explebit? Nequam, sed qua ratione commissa peccati diluet, affectus vincet, & lemet ipsum abnegabit. Quid desiderat? An dignitatem facularem consequi, an honorem Ecclesiasticum adipisci; an dominium in alios, & principatum usurpare? Minime: sed sui contemptum, occupationem monasterij vilorem, & opportunitatem ad Deo vacandum concupiscit. Quid animo proponit? An vitam in corporis cura & in occupationibus rerum temporalium insumere? Nullo modo, sed in affectu virtutum, in affida sanctorum letione, in sacrarum Scripturarum studio, in iugi retum cœlestium contemplatione, & in auxilio proximorum, ac in æternæ gloria expugnatione occupati. Paupertatem non timet, quia pauperes Christi beatos appellat. Laborem non fugit, quia nemo athleta sine fudo coronatur. De cibo non cogitat, quia fides, aut vera de Deo fiducia concepta, famam non metuit. Non horret super nudam humum exesa ieiuniis membra collidere, quia Dominus secum iacet: squallidi capitis incultam castitatem non perhorrebit, quia Christus sui est capitum ornatum, Cœnobij silentium, & cellæ secretum eum non terret, quia paradisum mente dæambulat. Scabram sine balneis cutem irridet, nam qui in Christo semel lotus est, corporis lotione non indiger. Uniuersa mundi incommoda paratus est sustinere: optimè namque nouit, quia non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hæc omnia quid sunt, nisi gratia fructus, diuinorum auxiliorum effectus, cœlestiū diuinarum compendia, quibus quasi germe agri multiplicatur anima religiosa, & in vera nobilitatis culmen euehit?

D Tam subita, & inopinata cogitationis diuersitas tanta dissimilitudo voluntatum, tam mirabilis operum, & curarum disparitas, non à natura processit, sed à gratia manavit, non opus est solius hominis, sed opus misericordie Dei. Si enim non possumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficiencia nostra ex Deo est. J & nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto, J quisnam suis viribus poterit, non iam magna cogitare, sed insignia perfectiois opera facere: Quis valebit Christum Iesum, nō tantum verbis dicere, sed opere confitri, & in se ipso vitam eius sanctissimam, & mores immaculatos exprimere: Cum ergo hanc mutationem meditamus, quam Dominus, tum in his, qui nos præcesserunt, tum in fratribus nostris quotidie facit, eius auxilium, ac misericordiam fateri cogimur, & cum ingenti admiratione clamare compellimur. Deus, auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua gentes disperdidisti, & plasti eos, affixisti populos, & expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum nō saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam cōplacuisti in eis. J Humanæ vires Domine, ad hoc opus præstandum, nequaquam sufficiunt, brachium carnis hanc stupendam mutationem hominis carnalis in spiritualem, præstare non potest: sed fortitudo tua, & favor tuus, vitorum gentes diecit, virtutes intenit, peccata depulit, & vitam perfectam, a sæculique miseriis außam, instituit.

Mat. 5.3

Rom. 8.  
18.

1. Cor. 3.  
5.

1. Corint.  
12.3.

Psal. 43.  
2.

Hoc

Hoc autem ideò, Domine, quia nos dilexisti, nos ex dilectione vocasti; & in nobis tuæ misericordie diuitias demonstrasti. Fatemur ergo, quia iam cœpiimus, & alios, quam antea, nos esse cognoscimus; sed non nobis metipis hoc opus ascribimus, quia re vera hæc mutatio dexteræ excelsa.

Verè opus est Dei, quod anima in se ipsa præsentis, suo conditori ascribit purissimo humilitatis affectu, & tantas gratiæ opes sibi tam citè concedi cum ingenti stupore miratur. Quis enim in se opera Domini non miretur, (vt Cassianus ait, hoc argumentum elegantissimè tractans) cùm insatiablem vœtris ingluicet, & sumptuosam gulæ, potniciose amque luxuriam, ita in se viderit esse compressam, vt vix ipsum exiguum, ac vilissimum cibum, tard inuitusque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, cùm illum ignem libidinis, quem naturale ante, & velut inextinguibile esse credebat, ita refriguisse perfenserit, vt ne simplici quidem corporis motu se sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cùm homines quondam diros, ac truculentos, qui ad summum iracundia furem, etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, vt non solum iam nullis commoueantur iniuriis, sed etiam cùm illata fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis plane non miretur opera Dei, ac tuto proclamat affectu? Quia ego cognoui, quod magnus est Dominus] cùm vel sc, vel alium quempiam, ex rapacissimo, liberali, ex prodigo, continentem; ex superbo, humilem; ex delicato, ac tenere, squallidum, hirtumque perspexerit, & egestate, atque angustia præsentium rerum, etiam voluntarie perfruentem?

Merito verè religiosus tanta gratia cumulatur, & tantis præsidii è cælo demissis roboratur, quoniam hæc omnia postulat status, quem Dei amore succensus ariput. Si enim Dominus aliquem ad magnam dignitatem euehens, solet ei vires necessarias præstare, vt dignitatem illam optimè, aut ministeriu exercet. Si Davidi attribuit robur, vt Philistænum superbum prosternet. Si Ieremiæ dedit audaciam, vt Iuda Reges, Præcipites, & Sacerdotes argueret. Si Ezechieli luppedita faciem valentiorum, & frontem diuiri faciebus & frontibus eorum, quos vaticinatione sua increpate debuerat. Et vidu Iudith, vt Holofernem inescaret, contulit splendorem. Si quos ad prædicationis ministerium vocat, idoneos facit ministros noui Testamenti, vt magnum oneris sibi commissi pondus sustineat: Quid nî religiosis ad statum perfectionis vocatis ea præsidia, quæ diximus, abundantanter contribuat, sine quibus statui suscepimus satis esse non possunt? Illis imperatum est, vt sint severi pædagogi carnis suæ, cōtemptrores sacruli, persecutores inanis gloriae; Diaboli, & suarum techniarum irridores. Præceptum est illis, vt virtutes colant, orationi se dedant, animi puritatem inquirant, perfectionem secentur. Operæ pretium ergo fuit, vt ea luce perfunderentur, ea fortitudine animarentur, eo vniuersarum rerum contemptu ditarentur, quo possent virtutem ardenterè cupere, Diabolum vincere, seculum concilcare. Et in hoc beneficio, tum religiosorum diuitie, tum sapientia Domini largientis eluet, qui statim paupertatis, statim opum fecit, & innumerabilibus diuitiis amplificauit.

Quis namque neget, religiosam vitam, paupertatem amare, paupertate amplecti, rerum terrenarum indigentiam profiteri, quæ cultores suos rebus, quas possidebat, spoliat, & vt eas à se abdicent, & non solum opere, sed multò magis mente, & affectu abiiciat,

A constanter iubet? In hac autē vita mundana affluentia contemprice, & paupertatis amatrice, dicitur tibi, o homo, quod multiplicatus es, & opibus immensis ditatus, non quidem opibus terrenis, quæ nec molestiam curarum auferunt, nec habendi sitim extinguunt; sed spiritualibus diuitiis, quæ sole (vt ait Augustinus) vœtræ diuitia sunt, & nostra desideria satiant, ac tranquillitate mentem afficiunt.] Dicitur, inquam, tibi, & verè dicitur, quoniam ita multiplicatus es, vt habeas vnde tibi omnem virtutum suppellectilem abundantem compares, & ciuis cœlestis dignitatem conquiras. Nam si ille diues vocatur secundū sæculum, qui aurum & argentum habet, domos amplas & agros fructiferos possidet, aliis rebus pretiosis affluit, vestibus splendidis fulget, honoribus & dignitatibus tumet, & seruis & famulis confitatus incedit: quantò melius & vertius es tu diues, o religiose vir, abundantissimi auxiliis cumulatus, vt illis tāquam diuitiis veris & solidis, aurum sapientiæ, & argentum diuinorum eloquiorum habeas, & rerum mandanarum instabilitatem & vitalitatem agnoscas; cor Christi inhabites, omni aula regia spatiofius & pulchrius, in quo latet, & vt in vita mortali fieri potest, securus quiescas; potentias tuas à rebus terrenis auillas tamquam fertiles agros possideas, ex quibus, non spinas & tribulos malarū cogitationem, sed copiosos mortificationis manipulos colligas, virtutem, velut pretiosarum vestium, decore splendidas, honore fibrorū Dei gaudreas, & nō vilissimis mancipiis, sed Angelicis spiritibus comitatus incedas? Diues es illis opibus pretiosis, quas, te nolente, fur non surripit, nec tinea corruptit, nec ipsa naturalis fragilitas minuit.

B Homo autem ita cœlestibus auxiliis multiplicatus, ac diuinis opibus auctus, germini agri iure optimo comparatur, non quidem illi, quod statim ac exortum est, exuritur, & arescit; sed illi, de quo apud Ieraiam legitimus. Quia erit germen Domini in magnificencia, & gloria, & fructus terra sublimis.] Hoc germen Domini Christus est, de quo alio loco scriptum est. Ecce dies veniunt, & suscitabo David germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iusticiam in terra. ] Verè germen Domini, & fructus terra; germen Domini, quia verbum Patris, & fructus terra quia filius matris. Vnde Bernardus. Idem germen Domini, & fructus terra, idem & ipse Dei filius, & fructus ventris Marie est. Idem filius David, & Dominus, de quo hodie gaudium eius impletum est. Vnde olim præcinctus aiebat: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.] Quomodo enim non dominus germen Domini? Idem tamen & filius eius, vt pote fructus terra sublimis, fructus virge, quæ de radice Iesse processit.] Sed huic speciosissimo religiosus confertur germini, & ad eius similitudinem multiplicatur. Quia sicut ille gratia dona, gratis, & non ex meritis in principio sua conceptionis accepit, vt opera mirabilia & stupenda patraret: ita iste diuina hausti adiumenta, a diuina bonitate prærogata in sue vocationis exordio, quibus in hominem nouum mutatus, secundū spiritum vivaret, & opera carnis ablegaret. Adolescit plane si cut germe agri, Nam sicut illud diuinum germen quotidie propagabatur: Proficiebat enim (si non habitu, ostensione tamen operationum) sapientia, & ætate & gratia apud Deum, & homines. Ita ad religiosum statum énuatatis, dum quotidie pluvia gratiæ, & cœlestium donorum irrigatur, sapientia proficit, cùm ab infantium, hoc est, incipientium ignoratione, in proficientium & perfectorum cognitionem ascendet, gratia procedit, dum ab imbecillitate ad animi

Angu. ser.  
35. de ver-  
bis Domini-

Matt. 13.  
5.  
Iust. 4.2.

Ierom. 23.  
5.

Bern. ser.  
6. de Af-  
fers.

Psal. 109.  
1.

Luc. 2. 52.

Ephes. 4.  
13.

tobur & fortitudinem transit. Etate prouehitur: nam à puerilitibus sacerularibus eductus, & in sensum senilem introductus, occurrit in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi.] Verè igitur, ô anima religiosa, tamquam germen agri multiplicatam dedit te Dominus, & multiplicata es, si quidem in initio conuersio[n]is tuae, repente & fere sine ullo labore ad tantam amplitudinem ascendisti, & in possessionem tantarum opum admissa es, ut pre amore illarum diuitiarum, mundum vili-penderis, & vniuersa, que in seculo splendent, non corpore tantum, sed multò magis animo, deserueris.

*Quanta sit magnitudo ac sublimitas anima religiosæ.*

CAPUT XV.

**N**O N hinc finem habent, ô anima religiosa, tibi data beneficia Dei, sed postquam donis gratia, & auxiliis diuinis es multiplicata, nequaque vivilis & pusilla remansisti sed grandis effecta es. Grandis dignitate, grandis viribus, grandis & merito. Et quidem de dignitatis magnitudine, postea dicemus, nunc vero virium & meritorum magnitudinem inspicimus. Virium autem magnitudinem vobis robar animi, parua despiciens, & via concilantis. Quis autem hanc religiosi magnitudinem intelligit? Quis hanc granditatem explicare sufficit? Quis rogo maior est, qui diuitias appetit, an qui contemnit? Qui dignitates ambit, an qui despicit? Qui regnum concupiscit, an qui concusat? Quis maior est, qui superbia elatus cum Lucifero intra semetipsum dicit: Ascend super altitudinem nubium, ] an, qui humilitate depresso, omnia, cum Paulo, arbitrat[ur] stercora, ut Christum lucifaciat? Non dubium, quin incomparabiliter maior sit magna mundi contemnens, quam concupiscens, quoniam iste rebus asperguntur magnis, re vera parvus, seruit, ille imperat: iste eas suspicit, ille despicit: iste sequitur; ille fugit: iste rebus caducis se inferiorem, ille se superioriem agnoscit. Et, ut recte inquit Chrysostomus: Magna re vera est anima, si affectioni non seruit. ] Illa autem suarum affectionum serua non est, quae rerum labentium amore non tenetur, neque earum illecebris inescatur. Magna sanè est anima, quae, nec honoris vento & aura popularis diffunditur, nec voluptribus ac deliciis impletur, nec rerum temporalium abundantia satiat, sed solus Deus, incomprehensibile vtique bonum, eam replet, ac saturat. O quanta magnitudo solum Deum querere, solum appetere, solo Deo expleri posse, & alia omnia tamquam arida alimenta, & qua sustentare non valent, auersari!

Sed hanc miram magnitudinem cum ipso religioso statu conquirit, quisquis vero & ex animo ei ipsum addixit. Est enim status hic, qui ab omnibus rebus mundanis abhorret, & seculum præterit, atque contemnit. Est, qui sola cœlestia appetit, & Dei conspectum & possessionem concupiscit. Est, cui dictum est in Numerorum libro: In terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos. Ego pars, & hereditas tua in medio filiorum Israël. ] Quia licet aliquem censem, & aliquos

A agros pro vietu fratrum in comuni possideat, quisque tamen illorum omni abdicato rerum tempora lium dominio, & solo tenui visu rerum viliissimum contentus, sine quibus minime vita mortal is transfigitur, ad summum bonum tantum anhelat, dicens: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in aeternum. ] Homo igitur in hoc statu constitutus, si ramen non contradicat, & suauiter cooperetur gratia Dei, vires & neruos acquirit, ut Pontificum infusis fugiat; Regum diademata rideat, nobilium luxus, gemmas, & pretiosa ornamenta subfannet, potentum diuitias detestetur: & his omnibus rebus spretis, summam filiorum Dei dignitatem ambiat, & fancitatem, Deique amicitiam, & familiaritatem suspiret. Hic est profectus magnus, qui magna optat, eximia & ingentia, scilicet diuina bona exquirit, parua vero, nimis vniuersa temporalia pusilli derelinquit. An aliquis tam stultus est, qui magnum puret, quem formica & culices magnum existimant? Sed ille magnus corporis mole putabatur, qui giganti comparatus, merito magnus vocatur, & illo non inuenitur inferior. Ita profrus non magni sunt nobiles, non magni sunt illustres, & potentes seculi, quos parua formica, & minutus culices, imperitum scilicet vulgus, & mundani homines, magnos iudicant; sed magni sunt humiles, magni sunt spiritu pauperes; magni sunt mundanarum rerum contemptores; magni sunt Deum amantes, & venerantes, quos filius Dei, magnus vtique gigas, qui exultauit ut gigas ad currēdam viam, magnos existimat.

B Hi sunt ad instar Ioannis, magni coram Domino, qui vinum, & siceram non bibunt, & spirito sancto replentur adhuc ex vetero matris sua, & multis filiorum Israël convertant ad Dominum. Magni quidem coram Domino, nam si magni sunt in Scripturis diuinis ( teste Origene ) iusti, qui non transgrediuntur mandata Dei; ] quanto maiores erunt, qui perfectæ mandatorum custodiaz adiiciunt multa non debita obsequia, ad quæ, non preceptis impelluntur, sed igne charitatis incitan tur? Magni coram Domino, qui sicut Magistrate regni, coram summo Rege caput operiunt, non pijo, sed corona, nam cum federint in circuitu sedis Dei circumamicti vestimentis albis, in capitibus eorum erunt corona aurea. ] In cuius signum modo caput radunt, & in modum corona detin dent, ut hæc corona sit futura glorificationis insigne. Vinum etiam & siceram non bibunt, quia curas seculares, & mundanas voluptates nequam admittunt. Quid enim per vinum ( inquit Beatus Gregorius ) nisi cura temporalis exprimitur, à qua mens secularis cuiuslibet inebriatur ut ad iniurib[us] cognoscenda, aut ex toto, aut penè insensibilis redditur? ] Et quid per siceram, nisi dulcedo & voluptas carnis intelligitur? Nam sickeram ( ut Theophilus Alexandrinus ait ) est succus daetyli. ] Sed hoc vinum, & siceram isti magni respununt, quia non puerorum lacte, infirmorumque solatiis: sed perfectorum pane, diuinis scilicet consolati onibus, reficiuntur. Quid autem Spiritu diuino repleantur, adhuc ex vetero matris sua, ex his, quæ superius diximus, euidenter liquet. Nam ex quo eos pia mater religio in suo gremio suscepit, Spiritus sancti praesidia abundant, & gratiae donis repleti sunt. Hi tandem, non tamquam priuati milites pro se ipsis tantum militant, sed sicut fortis & generosi duces alios Diaboli laqueis eripiunt, ad Dominum convertant, & in viam virtutis

Psal. 72.  
26.

Psal. 18.  
6.

Luc. 1. 15.

Orig. hom.  
1. 2. in Le-  
uit.

Apo. 4. 4.

Greg. in  
Cantic. 1.

Theoph.  
lib. 3. ale-  
goriarum  
in Euau-  
gel.

E addu

Isaï. 14.  
14.  
Philipp. 3.  
8.

Chrys. hō.  
48. in  
Apoll.

Num. 18.  
26.

Orig. 16  
25. in Na-  
mer.

adducunt. De quibus illud Origenis intelligi potest: In populo Dei esse quosdam ita robustos fide, armatosque virtutibus, ut aduersus huius mundi hostes quotidie bella conficiant, & semper in procinatu positos, non solum semetipos, sed ceteros, qui per lexum, vel per atatem, vel per seruitutis conditio nem, pugnare non possunt, ab hostium tueantur insidiis, verbo doctrina eos, exemplique vita, & communitonum fedulitate munientes.] Et non incongruè ista religiosis dicimus conuenire. Illi namque sunt ( si qui alii ) fide robustissimi, qui imitantes innocentem Abel, plurimam hostiam, id est, tum omnia sua, tum seipso obtulerunt Deo, & nihil sibi metipos referuant, sed omnia reliquantes, sive magna fidei testimonium perhibuerunt, quia in aliam vitam semper mansuram oculos coniiciebant, quam omnium rerum mundanarum pretio, & sui ipsorum oblatione mercati sunt. Illi sunt virtutibus instructissimi, quas non communibus operibus querunt, sed magnis arque extraordinariis assequuntur, & ad sui cordis domicilium habitudinem allificant. Quibus armati, & seipso à vitiis, & peccatis, cooperante Dei gratia, liberant, quorum tyrranni subiacebant, & proximos suos, vita & doctrina à tendi culis invisibilium hostium defendunt.

Illi re vera magni sunt, nam si tu magnos vocas, quos aliqua dignitas, aut excellenter temporalis illustrat, quos opum, & possessionum, & subditorum copia nobilitat, quos sanguinis, aut generis claritudo magnificat: cur non potiori ratione magnos reputabis, quos amplitudo sanctitatis, virtutum ac donorum cælestium copia, & filiorum Dei splendor exornat? Si tu magnos existimas eos, qui magna concupiscent, & qui amplissimas reipublicæ dignitates ambiant, & obtinent, cur non magnos existimabis eos, qui non inter vilissimas mundanorum turbas, sed inter sanctos & amicos Dei, supremum honorem, scilicet Dei conspectum, & familiaritatem exoptant? Hi pro fidei magnitudine ( ait Bernardus) digni inueniuntur, qui inducuntur in omnem plenitudinem, neque est omnino in omnibus apothecis sapientia, à quo Deus scientiarum Dominus arcenos cœnsat cupidos veritatis, vanitatis nō consciens. Talis etat Moyzes, qui audebat dicere Deo: Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum. Talis l'philippus, qui sibi, & suis condiscipulis patrem flagitabat ostendi. Talis & Thomas, qui nisi sua manu tangeret vulnus, & fossul latus, credere recusabat, pulilla fides, sed de magnitudine animi, miro modo, descendens. Talis quoque Daud, qui & ipse dicebat Deo: Tibi dixit eorū meum, exquisuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.] Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent obtinent, iuxta verbum promissionis ad ipsos, quod est istiusmodi: Quemcumque locum calcaris pes vester, vester erit.]

Satis profectò ostendunt, se magnos esse, qui magna & eximia huius vita bona, quæ principes sæculi diligunt, & cupiunt, & magnis laboribus assequuntur, nimis, diutius, honores, & voluptates, ipsi pedibus proterunt, & tamquam vilissima fugiunt, atque alia maiora, & sine vila comparatione præstantiora querunt, scilicet, bona caræcteria & opes magnorum meritorum, numquam perituras, honores filiorum Dei in perpetuum duratores, delicias spiritus, quas caro & sanguis non percipit, concupiscent. Magnanimus certe ille dicitur, qui cum magna & mirabilia operetur, magnos tamen honores operibus magnis debitos, si non offerantur, non curat, & si offerantur, pro nihilo ducit. Religiosi er-

Ago, magnanimi sunt, qui sine vila dubitatione magna patrant, & pro eis non mundanos honores, sed Dei beneplacitum, & sui virtutem perfectionemque procurant. Magna enim sunt sola virtutis opera, qualia sunt, peccatorum non infamis, sed gloria fuga, rerum secularium contemptio, affectuum represso, humilitatis, sobrietatis, patientiae, & alias virtutum studium, rerum diuinarum contemplatio, & reliqua, quæ mentem perfectè subdunt legi Dei, & ab omni labore vitorum expurgant. Quare a Salomone dictum est: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. ] Melior, id est, maior, atque præstantior. Hæc autem omnia, vites religiosæ professores, non videntur, sed absolutissime expletæ, qui in hunc finem, quæ mundus magna putat, reliquerunt, & his magnis virtutis operibus se totos consecrarent. Et tamen hæc, non ad consequendas dignitates, & prælationes referunt, non in desiderium laudum humana, & inani honorum deiiciunt, sed ista vniuersa, quæ tantopere apud homines fulgent, nihil reputantes, tum propriæ perfectioni consulere, tum soli Deo placere student. Audi vnum, quem isti omni contentione sequuntur. Neque enim, aliquando fuimus in sermone adulatio[n]is, sicut scitis, neque in occasione auraria, Deus testis, est, nec querentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Si igitur hi magna faciunt, & magnum honorem mundi contemnunt, magnanimi sunt: quod si magnanimi, & magni, cum hominis magnitudo, non in mole corporis, sed in mentis dignitate ac præstantia consistat.

Anima igitur religiosa grandis est, grandis profecto viribus, quæ tot rerum mandarum funibus illigata, irruente Spiritu vocationis Domini, velut Samson, omnia hac vincula rupit, quomodo si rumpat quis filum de stupra tortum putamine, cum odorem ignis acceperit; & tam robustos hostes, non multis diebus a seipso abiiciendo, prostravit. Verum istæ vires non sunt propria, & naturales animæ, sed à Domino liberaliter attribute: si enim non possumus sine gratia, sanctas cogitationes, aut desideria concipere, quantum minus sæculum vincere, & à talibus nos catenis, ac compediibus expedire: Sed sufficientia nostra ex Deo est. Est etiam anima religiosa grandis merito. Nam sicut, qui parçè seminat, parçè & metet, ita qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. ] Cùm ergo hæc in benedictionibus seminet, id est, soleritissime in opera virtutis incumbat; quis dubitet eam in die messis, atque in fine vite copiosissimos meritorum manipulos habituram? Meritum auget charitas: Quod autem est maxima charitatis indicium, nisi propter Deum, mundo mori, & tamquam mortui à parentibus, à consanguineis, ab amicis, ab opibus, honoribus, & deliciis separari, & hoc prolixum martyrij genus subire? Auget & obiecti præstantia: Sed quod excellentius obiectum eo, quo religiosus, quidquid est, quidquid potest, quidquid valet, Deo in holocaustum offert, & non tantum sua, verum seipsum liberalissime tribuit? Auget & quantitas operis. Sed quod maius opus, quæ seipsum abnegare, & pretiosissimas gemmas proprij sensus ac voluntatis, alterius hominis iudicio ac voluntati subiiceret? Auget operum multitudo: Quæ autem maior bonorum operum copia, quæ religiosi, cuius vita velut aurea quedam catena, annulis operum bonorum à primo ingressu usque ad finem vite contextitur? Auget & difficultas. Sed quid difficilius, quæ semper

Prov. 16.  
32.

1. Thessal.  
2. 5.

2. Corin.  
9. 6.

sensus comprimere, affectus cohircere, propria defideria negare, corpus attercere, & crucis mortificatiōnem, sine intermissione deferre? Auget tandem magnus operandi conatus. Sed vbi maior, quā in religioſa vita reperitur in qua ex affuetudine bene operandi, quotidie augetur, & crescit. Anima, quā ex tot caūtis, & tā p̄cipuis, cumulos bonarum actionum multiplicat, magna erit merito, neque in communi p̄filitate tepidorum perficit. Nondum certe apparet, quid erimus; sed cū Christus apparet, iustus agnōthēta, omnibus iūta suos labores p̄mnia deēernens, tunc similes ei erimus.] Quia non tantum in numero amicorum fideliūm, sicut communes iusti, sed inter charissimos Dei filios computabimur; qui, Christi, id est, fratriū maioris vestigia sequunt; eius exornamus insignib⁹. Nunc tempus laboris est, & vt inquit Aggæus, nec dum semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliua non floruit. ] Quia nec charitatis ad Deum, nec devotionis interna, nec concordia cum fratrib⁹, nec misericordia ad proximos, merces appetit. Sed ex die ista Dominus benedicit ut magnis magna operantibus, & magna patiētibus, in futura vita, magna p̄mnia retrahat. Quicumque ergo in sanctū religiosorum cōtūm admittit fūisti, & tua siue multa, & pauca dimisisti, mod⁹ affeētū habendi reliquias, ad hanc magnitudinem virium, quae in saeculi contemptu conspicuit, vocatus es, & ad hanc granditatem meritorum, quā ex tot bonis operibus nascitur, es etiam inuitatus, si tamen opere exhibeas quod statu p̄fress. Quid si tibi adhuc, ô anima religioſa, sub habitu humilitatis constituta, hunc animum inessi, non conspicis, quo vniuersa mundi ornamenta, & oblectamenta contemnas, & sine vlla intermissione perfectionis operibus vaces, nihil te in via perfectionis noueris proficisse. Gēme igitur in conspectu Dei tui, plora, instanter pete, in hanc amplitudinem tui status dignam admitti; emere rerum labentiam vilitatem agnoscere, & earum despectionem comparare, vt & tu, sicut & tui fodales, & comilitones, merearis audire, Quoniam multiplicata es, & grandis effecta es.]

### Quanta sit tranquillitas animæ religioſæ.

#### C A P V T X VI.

**N**E MO est qui non pacem amet, requiem experat, tranquillitatem desideret. Et enim interna tranquillitas non minima pars felicitatis. Ac proinde, sicut naturalis est status felicis cupiditas, ita suape natura ducimur ad appetendum requiem animi, mentisque tranquillitatem, sed non omnes eam inquirunt, vbi querenda est. Quæritur in rebus exterioribus, in expletione appetitus, ac propriæ voluntatis: cū tam ipso non in his, sed in vera mortificatione, & in conclavi proprij cordis consistat. Hæc enim appetituum cohibitio nos multis curis liberat, & ad vera & numquam peritura bona mentem atollit. Quæ, qui appetitui, & præuæ concepientia seruit, citra dubium insipiente amittit. Quare animæ concepientis seruenti, merito apud Ilaiā dicitur, Ut descendat, & sedeat in terra, quia non est solium filia Chaldaorū. ] Huic (vt inquit Gregorius) apte per increpationem dicitur diuina voce, descendē, in alto quippe humanus animus stat, quando supernis retributionibus inhiat, sed ab hoc statu descendit cū turpiter victus seſe defluentibus mundi desideriis subiicit. Cui bene mox additur, sede in

Isaie 47.  
1.

Grg.

A puluere. Descendens enim, in puluere residet, quia cœlestia deferens, terrenis cogitationibus aperitus, in infimis vilescit. ] Proprij autem cordis introitus hominem clamoribus rerum mūdanarum eripit, & in quādam ineffabilem pacem perducit. Nam regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax. ] Hoc autem regnum Dei, in quo regnat pax, intranos est. Hanc pacem proprij cordis, qui numquam expertus est, cū absentiam non extimescit. Quid enim doleat natus cœcus, & qui videndi facultatem aliis inesse penitus ignorat, quoniā cœcus natus est, & colores non percipit, quos, nec in rerum natura esse quidem agnoscit? Qui vero aliquādo pacem est adeptus, nihil magis dolet, quād eam amittere, & à tranquillitate mentis exturbari. Hoc summam calamitatēm putat, ab intimo cordis in extēnas distensiones contumeliosas eiici, & ab ore sponsi illam tremendam vocem audire, Egregere, & abi. Quæ enim anima (ait Bernardus) semel a Domino didicit, & accepit intrare ad sc̄ip̄am, & intimis suis Dei presentiam suspirat, & quærēte faciem eius semper, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilis pena lūs ducat, quād post spiritualis studij huius gustatam semel suavitatem, exire denud ad illecebras, vel potius ad molestias [catnis, sensu]mique inexplicabilem repetere curioſitatem.]

Rem. 1. 4.  
17.

Hinc autem ingressum cordis, vbi inuenitur pax, & anima, religio sancta ex ipso mundi contemptu, ac bene perfecteque operandi consuetudine, abunde suppeditat. Vnde postquam contemndo omnia, grandis effecta es, subiungit Dominus per cunden prophetam, Et ingressa es. ] Qui aliquam domum, vel urbem odiā habent, statim, vt possunt, eam deserunt, & aliam commodiorem, & sibi magis gratam habitationem inquirunt, quam inuenientes, cum magno gaudio occupant, & cum exultatione frequantur. Sic anima, saeculi inquietudinem fugient & commorationem abominans, statim aliam domum querit pacificam, in qua tranquillè habitet & placide vitam traducat. Inuenit autem cor suum domum utique quietis, & pacis, illud que ingreditur & ab omni strepiti curarum aliena, cum Rego, & Dōmino suo Christo, secus pedes eius manet, secuta. Ibi tamquam sedula apis in altuario suo fauor dulcissimarum cogitationum singit, & sicut formica diligens, congregat in horream suum grana sanctorum desideriorum, quibus se ipsam reficit, vitamque spirituale sustentabit. Hic iucundus ingressus religiosus promissus est, cū aubierunt vocem Domini, sibi per Ieremiam dicentes, Conuerterim filii reverentes, quia ego vir vester, & assūmā vōs unum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. ] Illi namque sunt filii reverentes, qui à peccatorum, & vitorum feeditare, in quam iniſtientes abierant in domum Domini, id est, in spiritualem vitam, sapientes revertuntur. nec autem redditus, vt pretiosior habeatur, nec omnium est, nec propriā virtute perficitur. Opus est Dei, qui vocavit paucos, comparatione multorum, & assūmīt unum de ciuitate hac, & duos de cognatione illa, prout sibi placuit, vt introduceret eos in Sion, hoc est, in sefecta cordis proprij, vbi accipiunt pastores iuxta cor Dei, in quibus celestes illustrationes, & afflatus intelligo, qui pascunt eos scientia, & doctrina. Hæc cordis habitatio iucundissima est, in qua homo magna quiete, & tranquillitate perfratur. Quid enim tranquillus cœlo? sed corda iustorum celi quidam sunt, quorum Deus ipse incola, & habitator est, & qui in proprio corde per sanctas cogitationes habitat, comes, & cohabitator est Dei, & commune cum eo domicilium

Cant. 1. 8.  
Bern. ser.  
35. in cōs.

Ezec. 10.  
7.

Ierem. 3.  
14.

Ibidē 14

& ha

Aug. ser.  
de redēp.  
Greg. ho.  
3.8. in E-  
uāng.

Orig. ho.  
2.1. in Eu-  
cathm.

Psal. 80.  
11.

Richar. in  
Psal. 80.

& habitationem possidet. Corda fidelium (inquit Augustinus) cœlum sunt quia in cœlos quotidie eriguntur. Et Gregorius, ex eo quod Paulus vocat Christum, Dei virtutem & sapientiam, & ex eo quod Scriptura dicit, cœlum esse Dei sedem, ac animam iusti, sedem sapientiae, optimè colligit, hanc animam cœlum esse quod Dei gloria enarrat, & opera eius annuntiat: cœlū quidem est cor iusti, magnitudine immēsum, quia & ipsos corporeos cœlos, & omnia visibilia, & inuisibilia, præterita, præsentia, & futura, & quæ in Dei cadunt potestate, capit. ] In quâ sententiam optimè dixit Origenes: Magnū est cor hominis, & spatiōsū, & capax, si tamen mundū fuerit. Vis eius magnitudinem latitudinemque cognoscere? Vide quantam diuinorum sensuum magnitudinem capiat. Ipse ait, dedit mihi eorum, quæ sunt, notitiam rationem mundi scire, & opera elementorum, principium & finem, & medietatem sacerdorum, temporum varietates, & translationem mensium, annorum circulos, & siderum sedes, naturas animalium, & furores bestiarum, spirituum violentias, & cogitationes hominum, diversitas arborum, & vim radicum. Vides non parvum esse cor hominis, quod tantum capiat. Neque in corporis quantitate, sed in fortitudine eius intellige, quæ tantam scientiam capit veritatis, & paulo post. Non est parvum, ut dixi, cor hominis, quod potest tanta capere. Si autem non est parvum tanta capiens, consequenter in illo via Domini præparetur, & recta sit semita, ut ambulet in illa sermo Dei, atque sapientia. ] Quemadmodum ergo illud corpus, quod omnia alia corpora continet, cœlum dicimus, ita cor humanum, quod cogitatione vniuersa visibilia, & inuisibilia comprehendit. cœlum vocare possumus, si tamen munditia & pulchritudine virtutis non careat. Quare eius habitatio non potest homini non esse expectabilis, ac præ omnibus aliis desiderabilis.

Quia igitur tam amplum est cor hominis, Deus ipse, tamquam eximum beneficium se illud impletum promittit, cum ait, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: Dilata os tuum, & implebo illud. ] Hoc enim os, nihil aliud est quam cor nostrum, quod non fruto panis, sed Dei tantum possessione satiatur. Vnde Richardus de sancto Victore. Quid est hoc os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os, omnes Ægypti dilecie implere non possunt, quia omnes diuitiae mundi, carnali desiderio satisfacere nequeunt. Vide quam parva portio humani corporis, & quam angustum foramen sit os carnis. Quis non videat quam parvū est, quod vna panis buccella impleri potest? Quod igitur est vna buccella ad os carnis, hoc est totus mundus, immò multò minus, ad os cordis, nam vna buccella corporeum os facile replet, sed totus mundus desiderium cordis implere non valet. ] O quam digna, & quam nobilis anima nostra habitatio, in qua cœlestia lustramus, terrestria contemnimus, cuiusque rei premium & valorem cerimus. eorum, quæ mundus amat, exilitatem cognoscimus. In hoc domicilio tamquam in arca illius Patriarchæ mundi restitutoris inclusi, minimè saceruli procellas extimescimus, aut tempestates sentimus. Nec nobis curæ est, quis regiminis clavum teneat, quis honorum, & dignitatum culmen obtineat, quis per hominum ora, fama volitet, quis diuitias, & rerum omnium affluentiam possidat. Si impius laudeatur, despiciimus, si literatus honoretur, ridemus, si diues, & potens queratur, pro nihilo ducimus. Si inglorij, & despecti intra cellæ nostræ ambitum relinquamus occasio ingentis gaudij nobis est, quoniam curas,

A abiicimus, sollicitudinibus exoneramur, & commoditatem majoris profectus, & diuinæ contemplationis opportunitatem accipimus. Sani, & validi, labramus, agroti & imbecilles, lati sumus, si moror, & tristitia irruat, facile ea manu discretionis propellimus, & omne, quod turbat, abigimus. Huic habitationi, quia similis cœlo est, terræ mutabilitates non appropiant. Ibi, nec atriæ nubes tristitiae coguntur, nec sollicitudinum pluiae generantur, nec venti inanum affectionum spirant, nec pruina, & grando, atque gelidae nubes pratarum cogitationum decidunt. Nec ibi homo frigore tepiditas obrigeatur, nec concupiscentia ardore dissolutus, nec aëris inclemens frangitur, quia si se ipsum intra secretum cordis abscondat, & vniuersis mundi rebus ianuam occludat, & omnibus, quæ Deus non sunt, aut ad Deum non referuntur, valedicat; tempore sereno perficitur, & tamquam in cœlo positus, ab his mutationibus passionum suarum perficit securus.

B Hoc autem tam pacatum a quietum domicilium, si aliquius est, proprium est sane anima religiosa, quæ velut columba ex area dimissa, cu non inuenisset in sacerdoto, ubi requiesceret pes eius, tenueris est ad Dominum in arcam cordis sui, ubi locum quietis & pacis inter munda animalia, & ab aquis diluvij seruata, reperiet. Quæ nupta est (inquit Apostolus) cogitat, quæ sunt mundi, quo modo placeat viro, mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. ] Animam quidem sacerdalem mulieri nuptiæ, religiosæ verò, innuptæ, & virginis cōparauestrim, quoniam illa, licet velitis Domino penitus consecrare, non potest tamen curam sui corporis, & suorum, aut filiorum, aut servorum deserere, neque sollicitudinem cibi & potus, & indumentorum relinqueret, atque adeò sollicita est, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro corpori suo, & diuina est. Non valet semper secreta sui cordis tenere, in quo est pax, sed ad exteriora, quæ bellis sunt plena, exire compellitur. At ista omni cura cibi, & potus, & aliarum necessitatium corporalium abiecta, & in suos prelatos, ac superiores iactata, soli Domino vacat, & in conclavi proprij cordis sedes, quotidiani profectibus adaugescit.

C Multa quidem sunt, quæ nos ignaros ex ista domo deducunt, atque ex pacatissima cordis habitatione deturbant. Primo hoc faciunt res, quas oculis videmus, aut alio corporeo sensu percipimus. Secundo, res, quas cogitamus, & licet numquam viderimus, sensu tamen interiori configimus. Tertiò, bona, aut vera, aut apparentia, minime nobis necessaria, quæ concupiscentia effrenata impellente, volumus, & tamquam pulchra, aut iucunda, aut pretiosa concupiscimus. Quartò, bona naturæ necessaria, quorum praesidio ad fragilitatem nostram subleuandam indigemus. Quintò, ipsa mentis nostræ instabilitas, quæ nihil levius, nihil mobilius, nihil inconstantius inuenitur. Quæ exterioris sensibus subiecta sunt, nos sua pulchritudine inescant, quæ imaginatione conficta, sui ostensione decipiunt, quæ cupimus, nos extra nos ipsos trahunt, quæ opus habemus, curis & sollicitudinibus pungunt, & tandem instabilitas metis se ipsam a quiete & tranquillitate diuellit. His omnibus hostibus religiosa vita se constanter opponit, & ne, aut seducamur, aut quasi iniuti ex proprio corde deieciamur, aut volentes examus, præstantissimum remedium afferit.

D Nam rebus visibilibus, & aliis sensibus percepti

Gen. 3. 9.

i. Cor. 7.  
34.

Bern. Epist.  
folia 113.  
ad Sophiam  
virginem.

Basil. b. 2.  
in illud.  
ann. 11.  
6.

Iacob. 1.  
27.

Laurent.  
Iust. in li-  
guo vita,  
tract. pass.  
per. c. 2.

Matth. 6.  
31.

bilibus, per religiosam disciplinam ianuas sensuum occludit, ne nos sua importunitate perturbent. Est namque disciplina (auctore Bernardo,) quæ ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, format incensum. ] Cùm verè res istæ disciplina mysterio foris manent, mentem à domicilio cordis dimouere non valent. Monstris cogitatione factis per assiduam bonorum operum occupationem frænum iniicit, ne ridicula ostentatione vanitatis inquietent. Nam si, vt scitè dixit Basilius, otiosæ proflus, & cestantis animæ propria est ægritudo, cernere insomnia vigili corpore. ] Econtra, negotiora, & laborantis animæ erit, illa sanitas, quæ nos ineptisphantasmatibus libet, & puris ac sanctis cogitationibus imbuat. At religiosa vita minutatum tempus dimitiens, & nec momentum sine boni operis aut externi, aut interni cura, relinquent, modum vanis cogitationibus ponit, & hanc effrenatam facultatem, quam ferè nullus perfectè domare potest, mirabiliter in officio continet. Superfluis rerum mundanarum desideriis per abiectionem omnium rerum, curationem afferit. Nemo quippe eius amore ac desiderio tenetur, quod abiecit, & tamquam si nullius valoris esset, sine via difficultate contempnit. Quod si hæc est religio munda, & immaculata, miteris subuenire, & se immaculatum custodire ab hoc sæculo, manifestum est, quoniam religiosa vita, si vera, & munda sit, docebit omnia sæculi desideria relinquere; quibus adhuc in corde residentibus, nullus se illibatum à sæculo, incontaminatumque custodit. Certè magnū inquietudini & distractioni patere ostium retento rerum sæcularium amore, Laurentius Iustinianus hac ferè oratione patefacit. Magna tranquillitas cordis est nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena concupiscenda, & ad diuitias cumulandas cor inhibat, tranquillus & quietus esse homo nullatenus potest, quia aut non adepta concupisicit, vt habeat, aut acquisita metuit ne amittat. Et dum in aduersis sperat prospera, in prosperis formidat aduersa, huc illucque quasi quibusdam fluctibus voluit, ac per modos varios aduersantium rerum volubilitate versatur. ] Ea ergo vita, quæ istum amorem, & desiderium abiicit, occasionem egrediendi ex proprio corde ab inanium rerum concupiscentia natam funditus tollit.

Sollicitudini quoque rerum necessarium religiosa vita per superiorum prouidentiam benignè prouidet, qui subditos tamquam filios diligentes, & omnia necessaria, quæ ad victimæ, & vestitum, & reliquias corporis indigentias pertinent, frugaliter administrantes, subditos huiuscmodi cura eximunt, & ab egestate cordis ex ea provenientia defendant. Sciant enim religiosi dictum esse à Domino, his qui propter ipsum cuncta reliquerant. Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: scit enim Pater noster, quia his omnibus indigeris. ] Se autem ipsos in numero istorum pauperum collocantes, curas istas victimæ, & indumenta deponunt, & quieti quærent regnum Dei, & iustitiam eius, sperantes quod Prælatorum manibus hæc omnia à Domino adiungentur illis. ] Tandem instabilitati metis, non tam religio alio adminiculò, quæ se ipsa resistit. Status enim cum sit, instabilitatem quamdam, atque immobilitatem fortuit, ac corpus stabile reddens, & vii loco addiscens, & in cella manente faciens, ipsi animo cogitationum & desideriorum

A stabilitatem impedit. Qui corporis veluti magisterio edocetus, iam ex conseruo suo discit, quo pacto debeat, sicut corpus in cella ita & ipse intra se ipsum permanere, vbi pax est, & nulla externa, quæ bellis perstrepunt, queritare.

Ecce quæm bene religiosa vita nos intra cordis claustra continet, omnia tribuens quæ mansio- nem istam facilem & iucundam reddant, & universa remouens quæ nos ad sæculi inquietudinem exire compellant. Impleturque spiritualiter in nobis, quod de Israëlitis dictum est; Habitabatque Iuda & Israël absque timore vlo, vnuquisque sub vite sua, & sub fœu sua, à Dan usque Bersebe. ] Nos enim, qui non verbis tantum, sed factis, & non quibusque factis, sed magnis & egregiis operibus, quæ in abdicatione rerum omnium eluent, ex ipsa religiosa vocatione Deum confiteri cogimur, & in Deum oculos cogitationis intendimus, habitamus non tantum in cenobio ab omni strepitu sæculari remoti, sed etiam (quod melius & pulchrius est) in domo cordis nostri absque timore vlo, qui nos omnino conturbet, & vnuquisque sanè sub vite sua, & sub fœu sua. Si enim vita significat populum religiosum, ac piūm, cuius laus ex fructu, & honor ex diuinæ tutelæ præsidio contingit; & fucus illos designat qui ad cœlestem Hierosolymam pertinent, sunt enim ficonum arbores, quas Deus plantauit in vinea sua: quid erit religiosos sub vite & fœu habitare, nisi sodalium suorum (qui amici Dei sunt) oratione atque exemplo muniri? Habent igitur monastical vitam colentes pro ratione status sui, adiumenta maxima, vt in proprium cor ingrediantur, & in eo cum maxima iucunditate commonetur.

D Ad hanc ergo domum cordis tui, amplissimam quidem, & pacatissimam, ô anima mea, vocata es, cùm sæculo desperato, statum religiosum arripiuit. Ad hanc domum venisti lassa de via, cùm mundi curas & sollicitudines deseruisti, querens qui te hospitio recipiteret, & tribus panibus valde necessariis, veritatis, charitatis, & fortitudinis; fatigata famelicānque reficeret. Sic enim mystice interpretatur Bernardus parabolam hominis venientis de via, atque apud amicum, sed mendicem, divergentis, qui, vt hospitem exciperet ab alio amico prædiuere tres panes commoda postulauit. Ego (inquit) amicum venientem ad me non alium intelligo, quæm me ipsum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cùm transitoria deserens ad cor redeo, sicut scriptum est: Redite præuaricantes ad cor.] Deinde tunc verè sibi quisque amicus est cùm de via redit, quoniam, qui diligit iniquitatem, odit animam suam. ] A diu itaque conuerionis meæ de via venit amicus. Venit de regione longinqua, vbi pascere porcos, & ipsorum sillicas insatiablemefurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia attenuatus ieunio. ] Itaque tu es, ô anima, quæ ad te ipsam venisti, tu es invitata, atque invitans. Si pauper, & mendica es, neque habes, quod ponas ante teipsam, vade ad amicum tuum, imò ad Christum sponsum tuum, eumque non dormientem, sed te expectantem, & cupientem inuenies, cum eo misce orationis sanctæ colloquia, & profundens lacrymas, ei vniuersas tuas infirmitates pande, desideria enarra, & necessitatēs expone, & sine dubio postulationes à te fusas exaudiet, & magna tua imbecillitati subueniet. Optat pius ac benignus sponsus tuus, vt hoc abditum cor

3. Reg. 4.  
23.

Bern. ser.  
in rogatio-  
nibus.

I/a. 4. 6. 8.  
P/a. 10. 5.

P/a. 10. 5.

Laurent.  
Lust. lib.  
de humil.  
c.s.

Hugo lib.  
de anima.  
c.10.

Ezech. 16.  
7.

dis cubiculum ingrediatis, in quo solo tres praeditos panes, & denique pacem ipsam tam propriam cuius status, assequeris. Hoc enim his verbis docuit Laurentius Lustianus. Vult enim totius bonitatis Dominus infirmum hominem mortaliter corporis pondere grauatum, iacentemque erigere, illuminare, allucere, tertere: ut redeat ad cor, inspiciat se, atque intelligat extra se nihil esse tutum, nihilque liberum, sed cuncta esse laqueis plena, sollicitudinibus referta, vallata tribulationibus, permista scandalis, pacemque euudem non nisi in se posse percipere. Nam quamdiu vagatur extra se, tentatur, turbatur, decipitur, impellitur, depravatur, vulneratur.] Quod si, ô anima mea, nondum has tuae interna habitationis delicias experta es, fac ut experiaris. Linque animo, quod professione reliquisti. Linque co-sanguineorum familiaritatem: eorum, aut prospexitates, aut aduersitates obliuiscere, quia cum mundo mortua sis, ad te non pertinent. Delere amicorum consortia, honoris anxietatem, commoditatis sollicititudinem, ac omnium rerum temporalium memoriam. Collige te intra cor tuum, quae teipsum intra te, & que extra te perdita eras, intro te lucratam inuenies. Scrutare regnum Dei in corde tuo, qui regnum hoc intra te est. Inquire in hac au la interiori Deum tuum habitatorem eius, tene eum, ne dimittas, sicutque omnia bona, quae optas, eris assequuta. Vnde tibi, cum hanc inuidissimam habitationem derelinquis, quia luto & limo terrenarum cogitationum fordescis, & puritatem deseris, cuius causa in religionem venisti. Euenietque tibi illud, quod ait Hugo de sancto Victore, Cumque anima elabitur ab ipsis, & inuoluitur in illis, vanitas illam recipit, curiositas deducit, cupiditas alicet, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia, sieque miseris casibus submergit omnibus vitiis, qui unum Deum, (qui ei sufficere poterat) dimisit. Ne ergo in hac mala incurras, & tam ingentia bona dilapides, ingredere in cor tuum, & dicetur de te; Quia grandis effecta es, & ingressa es.]

Quam magna sit occasio puritatis cordis  
in vita religiosa.

C A P V T XVII.

Vnde anima in cor suum ad habitandum ingreditur, facile est illi inuenire deponere, quae eius pulchritudinem turpant; & omnia, quae eam ornant, comparare. Sicut enim casta virguncula domi manens, & in texendis vestibus, & faciendis ornamentis sui corporis occupata, breui tempore multa parat in diem desponsationis sua, quibus omnibus pulchra, & apprimè culta videatur: Ita anima cubiculum proprij cordis ingressa, ibique non desidiosa, sed officiosa manens, immensus virtutum & coelestium donorum ornatum præparat, ut se ipsam oculis celestis sponsi pulchram, & amabilem offerat. Hoc autem est aliud religionis bonum, quod quietem & tranquillitatem cordis consequitur, de quo inquit Dominus, religiosam animam adhuc studiens. Et peruenisti ad mundum muliebrem. ] Mundus muliebris, aut sponsæ ornamentum, quo anima tamquam sponsa Dei pulchra ornatur, atque excollitur, ut in eius purissimum lectum deferatur,

A & od castissimos admittatorum amplexus, puritas metis est, qua eam amabilem efficit, & Dei consortio atque conspectu dignam reddit. Nam sicut mundus seminarum est, quem ipsæ omnibus præferunt, cuius causa die nocturne laborant, eoque decoræ, & amabiles apparunt, & ad coniugium praetendunt. Ita mentis puritas est, quam præ omnibus cupere, & amare debemus, & noſte ac die iugiter pro ea adipiscenda laborare, tamquam pro vera pulchritudine, quæ Dei oculos capit, sanctissimumque cor eius nostri amore succedit. Recepit enim dixit Leo Papa: Vniuersitas fidelium ad perfectam innocentiam, & ad plenam debet tendere puritatem, ut eorum consoritio mereatur adscribi, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. ] Et Gregorius Nazianenus, ait: Neque enim quicquam apud Deum, qui pulsus est, pluris habetur, quam puritas, aut certe puritatio. ] Nec non & Augustinus: Munditiam vocat finem, quo perficiuntur, non quo consummamur. Hæc puritas est, quam Deus impensis amat, & in anima vehementer exquirit: quæ si desit, invisa est illi, & detestabilis omnis nostra externa lauitia. Itam querentes, illam verò non curantes, audiunt à Domino: Vobis hypocrite, quia mundatis, quod foris est, calicis, & paropidis intus autem pleni estis rapina & inmunditia. Phariseæ cace, munda prius, quod intus est calicis, & paropidis, ut fiat id, quod deforis est mundum. ] Hac puritate anima spousum suum Deum tenet, nec dimittit, donec introducat eum in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ. ] Mater animæ gratia est, iam spiritualiter generans, nutriendis, docens, atque gubernans: Domus autem huius matris, fructus est actionis, & cubiculum genitricis, cor nostrum occupatum in opere contemplationis: spiritualis ergo munditiam est, quæ animam in hoc cubiculum introducit, idoneamque reddit, ut cum sposo quiescat, & purissimo eius persuatur amplexu. Quare optimè Venerabilis Richardus inquit: Gratia inuenitur Christus, sed munditiam in hospitium cordis introducitur, iam animam visitavit, sed donec munda sit, non est digna, ut moram cum eo faciat. Ad hoc iunari se petit per orationis instantiam, dicens: Tenui eum, nec dimittam.

B Merito itaque cordis puritas, quæ animam idoneam reddit ad diuinum consoritum, mundus muliebris appellata est; sed ad istam munditiam, ac cordis puritatem, ubi anima melius, quam in sancta religione perueniet? Religio, omnia removet, quæ puritati aduentantur, & cor hominis sua vilitate commaculant. Hæc enim sunt, diuitiae, deliciae, & propria voluntas. Diuitiae quidem animum nostrum inficiunt, quia amor earum immoderata virtutes omnes euertit, & omnium vitorum immunditiam violentissime inuehit. Vnde Chrysostomus inter alia multa, quæ in hoc argumentum congesit, illud constanter affirmit. Diuitias, non natura sua, sed hominum vicio, omnium bonorum materiam abscondere, & universorum malorum formitem ministrare. Non solum (inquit) nihil virtutis animo conferunt, sed eti paratum aliquid, & reconditum inuenient, subruunt: & econtrariò virtutia pro virtutibus introducent. Ipsilonum enim pedissequa est luxuria, ira, intemperantia, furor, iniustitia, arrogantia, superbia, omnisque irrationalis motus. ] Quid, quod licet sine his peccatis à quibusdam possideantur, tamen sine nimio amore erga eas,

Leo. ser. i:  
quadragesima.

Matt. 5: 9  
Nazian. ad  
Greg. Nyss.  
ser. orat.  
in eius pro  
mot. ad E.  
p. scapulari  
Aug. ser.  
14. de sal  
tis, tom.  
10.  
Matt. 23.  
25.

Cant. 3.4.

Rahar. in  
cant. c. 6.

Chrys. ho.  
9. quad  
remo. s. 5.

Ibid.

Deuter.  
20.8.Cassia.lib.  
7. de spie  
tu fornic.  
c.1.5.Ephes. 5.  
3.Greg. 3.1.  
mor. c. 3.1.Cor.  
1.8.

Anselm.

Isidor.lib.  
2. fons. c.  
3.9.Hieron.in  
c. 5. ad  
Ephes.

vix retineri possunt? Qui amor in te tam vili, & abiecta collocatus, non parum cor hominis maculat. Quam ob causam idem pater Chrysostomus sapientissime diuitias coenum, stercus, & sordes appellat. Ab his tamen sordibus, vita religiosa eorū nostrum emundat: non solum opes, & rerum temporalium superfluitatem amandans, verum etiam carum amorem & cupiditatem abiiciens. Quare dum in eam vitam tamquam in castra Domini admitti postulaimus, illud Deuteronomij preceptum in auribus nostris intonuit. Si quis est homo formidolosus, & corde paucido, non egrediatur bellum: Vada, & reuertatur in domum suam, ne pauore faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. [Quo testimonio vt Cassianus mystice interpretatur] illud nobis mandatum est, ne statum religiosum arripiamus, si actione & affectu exoluti a terrenis facultatibus in canobio persistere non audemus.] Hec namque diuinarum possessio, non solum nos ipsos decipit, ut indigni simus religiosorum habitu, & nomine, verum in alios quoque se se hæc pestis effundet, qui nostro exemplo decepti & incitati, cum ingenti religiosis detimento, eundem grauissimum morbum incurrent.

At delicia non tantum mentem, & corpus hominis polluant, sed etiam ad statum bestiarum irrationalium deiciunt. Quod Paulus manifestissime docuit, fornicationi immunditiam attexens. Fornicatio (inquit) & omnis immunditia, & auaritia, quæ nominetur in vobis.] Immunditia nomine, omnes luxuriae species: intelligens, quibus homo ab ingenita sibi nobilitate degenerans, animalium rationis expertum induit vilitatem. Et sane hæc duo nomina, immunditia, & auaritia, quæ Paulus impuris voluntatibus tribuit, sunt consideratione dignissima. Vocat eas immunditiam, quoniam animam illis filiabus suis, quas Gregorius enumerauit, scilicet, cæcitatem mentis, inconsideratione, inconscientia, præcipitatione, amore sui, odio Dei, affectu præsentis seculi, & horrore futuri comaculant, & corpus etiam inficiunt. Nam omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. [Hoc est, contra honorem corporis sui (vt Anselmus exposuit.) Fornicatio enim in tantum poluit corpus ipsum, in tantum libidinis aestus accedit, in quantum venenum delectationis illicite, se se per totum corpus diffundit. Vocat auaritiam, quæ significat inexplicabilem, ac infatiablem carnis libidinem. Quæ (vt inquit Isidorus) repeta, maiorem delectationem ingerit. Iam vero si in vnum venerit, tanto perditis dulcior fit, vt separare difficile sit. Vnde & saepe ex consuetudine delinquendi, quasi captiuus ad peccandum cum quadam violentia trahimur, sensuque nostros contra rectam voluntatem in nobis rebellare sentimus. Hunc autem esse sensum Apostoli, Hieronymus aperte testatur. Non hanc (inquit) auaritiam appellat, qua pecunia cupimus cōgregare, sed illam, de qua supradiximus, Ne supergrediar, & auarus fraudet in negotio fratrum suum. Quid scilicet insatiabilis, & inexplicatus per omnis turpitudinum genera, lascivusque, discutat.

Hanc etiam immunditiam status religiosus abluit, castitatem vovens, minimas quoque cogitationes, puritati contrarias allidens, & corpori, vt spiritui serviat, quotidianum abstinentiam & afflictionis penitum indicens. Est autem castitas tam principalis pars cordis putatis, vt Paulus ipsam sanctitatem

A ac puritatem appelle. Hæc (inquit) est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij. [Vides (ait Cassianus) quibus eam laudibus prosequatur, honorem vatis, id est, corporis nostri, & sanctificationem appellans eam?] Igitur è contrario, qui in passione desiderij est, in ignominia & immunditia consistit, & alienus à sanctificatione versatur. Status ergo, qui castitatem tamquam sibi propriam amplectitur, non dubium quin delicias, cor, & corpus nostrum maculantes, abiiciat.

B B propria verò voluntas, quantum hominem polluat, manifestum est, cum vniuersorum sit peccatorum nos inquinantium seminariu[m]. De corde enī, id est, à propria voluntate exēunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemie: hac sunt quæ inquinant hominem. Hunc autem fontem iniquitatis, atque originem immunditiae vita religiosa tam constanter obturat, vt eum religiosum, & suum filium non putet, quem viderit certe cœlum obedientia non submisisse, nec in omnibus propria voluntatem abnegasse. Hanc prælati in subditis suis sepius cohident, ea ministeria illis ad mortificationem in tangentes, a quibus magis sensus abhorret. Hanc ipsi subditi in se ipsis interrunt, suspetum, & periculorum reputantes quidquid propria voluntas appetit, & non prælati inianxi auctoritas. Hanc occupationes ipsæ religiosæ remouent, suo tempore, & loco præstandæ. Neque enim quisque orat, aut laborat, aut corpori necessaria militat, quando vult: sed secundum superioris ordinis præscriptum. Quæc uilibet religioso illud Hieronymi dici potest: Non facias, quod vis, comedas, quod iuberis, vestiare, quod acceperis, operis tui, pensum absoluas, subiiciaris cui non vis, laſsus ad stratum venias, ambulansque dormites, & ne cum exploso somno, surgere compellaris, dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus queritur, dicente Apostolo, Psallam spiritu, psallam & mente, & cantantes in cordibus vestris Domino. [Legerat enim eis præceptum: Psallite sapienter.] Seruias fratribus, hospitium laues pedes, passus iniurias, taceas, præpositum monasterij timeas, vt dominum, diligas, vt parentem, credas tibi talitate quidquid ille præcepit. Nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere, que iussa sunt, dicente Moysè: Audi Israhel, & tace. Tantis negotiis occupatus, nullis vacabis cogitationibus, & dum ab alio transis ad aliud, opusque succedit operi, illud solum mente tenebis, quod agere compelleris.] Voluntas autem his tribus telis oppugnata, armisque impedita, quid ni succumbat, & vieta, ac prostrata diffugiat.

C C aufert ergo status religiosus omnia ea quæ possent cordis puritatē impedire, atque adeo facile est in ea mundum hunc multib[er]em conquiri, quod sponsam supremi regis exornet. Si verò prædicti puritatis hostes repente irruant, & impetu in nos factio adeptus innocentiam surripere current, habet religio arma, quibus hostium propulsat iniuriam, & suos alumnos tueatur. Quid enim sunt fletus, non desperationis, sed spei? Quid gemitus, non impatientia, sed compunctionis? Quid orationes afflidae, quibus non temporalia petimus, sed eccl[esi]a, & spiritualia postulamus? Quid ipsis scelii derelictio, quæ omnem peccandi

1. Thess. 4.  
3.Cassia.lib.  
5. de spiri  
tu fornic.  
c.2.5.Matt. 15.  
1.9.Hier.Epi.  
psola 4.c.  
6.3.7.1.Cor. 14.  
16.Ephes. 5.  
1.9.Psal. 46.  
8.

Dent.

maxeriam

Cam. 1.  
9.Bern. ser.  
39. in celi.

Ber. ibid.

Exod. 14.  
25.Chrys. ser.  
de laudi.  
bus mo-  
nachor.  
tom. 3.

materiam succedit, nisi arma quædam fortissima, quæ omnes hostes puritatis obterunt, atque peruer-  
tunt? Ideo anima mundum derelinques equitatui  
sponsi aduersus currus Diaboli armato assimilata  
est. Equitatui meo (inquit) in curribus Pharaonis as-  
similauit te, ] quia ea apud se habet, quo cuneos ad-  
uersariorum vincat, & à se iugum impunitatis excu-  
tit. Nec miraberis (ait Bernardus) vnam animam &  
quitatus multitudini similitam, si aduertas, quantæ  
in ipsa vna, quæ tam sancta anima sit, virtutum a-  
cies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio,  
quanta in moribus disciplina, quanta in orationi-  
bus armatura, quantum in actionibus robur, quan-  
tus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste  
conflictuum assiditas, numerositas triumphorum.]  
Hanc autem multiplicem de hoste viatoriam, si vis  
sigillatim aduertere, audi eundem infra dicentem.

Ibi populus eductus est de Ægypto, huc homo de  
seculo, ibi prosteruit Pharaon, huc diabolus; ibi  
subuertuntur currus Pharaonis, huc carnalia, & sa-  
cularia desideria, qua militant aduersus animam,  
subruuntur, Illi in fluctibus, isti in fletibus, marinii  
illi, amari isti. Puto & nunc clamitare dæmonia, si  
forte contingat incidere in talem animam: Fugia-  
mus Israëlem, quia Dominus pugnat cum eo.]  
Magnam quidem habet anima occasionem puri-  
tatis, tanta fortitudine robora, que puritatis ho-  
stes acer, & omnia saeculi oblectamenta nos macu-  
lantia peruerit.

Et sane præter arma iam dicta, ipsi domus reli-  
giose parietes terribiles sunt Diabolo. Fugiat ab eis,  
tamquam à muris fortissimis, quos vallat, & cingit angelica, ac diuina custodia. Sunt enim domus  
istæ armamentaria quædam, omni armorum gene-  
re plena, vniuersis ad nostram tutelam necessariis  
instruta, qua dæmones eminus aspicientes perti-  
mescunt, & ne irrideantur, & deturbantur, tan-  
dem, tandem non sine indignatione diffingunt. Si  
enim Diabolus lachrymis, & penitentia fugatur;  
si precibus, & oratione prosternitur, si vigiliis, at-  
que ieiuniis vincitur, quid ni cænobia his armis  
aduersus impetus suos referta diffugiat? Sapienter  
profetò dixit Chrysostomus. Certissima lachry-  
matum sedes monasteria sunt, vbi saccus, & cinis,  
vbi solitudo, vbi risus nullus, vel reum præsen-  
tium obturbatio, vbi ieiunium, & humi cubatio.  
Sunt namque ibi omnia nidore, & illecebris vacua,  
& quavis interpellatione, & inquietudine libera.  
Insuper portus tranquillissimi sunt, quos qui inha-  
bitant, veluti ignes sunt, qui cùm è loco editio-  
ri emicent, lucem vel eminus adventibus exhibent,  
cùmque vel in portu resederint, ceteros  
ad suam alliecent tranquillitatem, neque se intuen-  
tes pati naufragium finunt, vel in tenebris dege-  
re, qui ad se oculos intenderint.] Ex cuius senten-  
tia eluet, quām sint monasteria dæmonibus terri-  
bilia: siquidem in eis religiosi, non solum se ipsis  
à dæmonis potestate vindicant, & à viotorum ty-  
rannide liberant, sed alii etiam sunt causa salutis,  
quos instar ignium, vita illuminant, tamquam præ-  
ceptores verbis vocant, & tamquam thesauri pre-  
tiosissimi splendore sanctitatis alliecent. Ac his om-  
nibus perspicue ostendunt, sibi affacim omnia ad-  
iumenta esse donata, quibus deiciant inimicos  
sanctitatis. Sunt denique domus religiosæ, sicut re-  
positoria quædam, in quibus animæ custoditæ, si  
velint, nec libidinis cæno maculantur, nec cupiditatis luto fædantur, nec propriæ voluntatis fordi-  
bus polluantur, imò nec inaniū curarum pulue-  
rem sentiunt, quia ipsa cænobia vndique parieti-

A bus clausa, cura prælatorum circumspeta, & di-  
uina protektione munita mirabiliter ab omni gra-  
ui labi defendunt. Quare non infulsè Bernardus  
monasteria cum stagnis confert. Merito ( in-  
quit ) monasteria stagnis comparantur, vbi quo-  
dammodo incarcerati pisces euagandi non habent  
liberatam, quò videlicet patati sint séper ad epu-  
las spirituales, dicentes singuli intra se: Quando  
veniet qui me deferat? cunctis diebus, quibus nūc  
milito, expecto donec veniat immutatio mea. ] O  
felix stagnum, in quo, & a peccatorum alienorum  
manibus liberaram, & hamo diuinæ dulcedinis, que  
nos capiat & trahat, expoliati sumus. habemus ergo  
in vita religiosa adiumenta valida, quorum praefi-  
dio mentis fortes tergamus, & dæmones nostram  
nuditatem & ignominiam curantes, à nobis ipsi repellamus.

Non solum autem hic noster status abiicit impe-  
dimenta puritatis, verum etiam omnium illorum  
diues est, quæ puritatem efficiunt, conseruant, &  
ad omnimodam perfectionem deducunt. Huius ge-  
neris sunt, mortificatione cogitationum, cohibito  
passionum, iugis oratio, & familiaritas cum Deo,  
omniūque exercitatio virtutum. Est enim hic no-  
ster status tamquam sapiens, & peritus me dicus,  
qui nouit, celerem, & expeditam medicinam om-  
nibus nostris vulneribus adhibere. Est velut diligēs  
filio, qui lixiuio, ex compunctionis aqua, & cinge-  
re humilitatem confecta, fecit vniuersas maculas, tum  
magnas tum exiguae, animarum abltere. Et forte  
ad agrum huius fullonis Iaia cum Iacob filio sibi  
relicto iubetur descendere, vt ibi regiam mundi  
superbiam non iam ore quam opere reprehendant.  
Nimirum subindicans hæc Scriptura (vt ait Basilius)  
nos oportere ad his deselcere, que per se vilia sunt,  
ac repunt humi, & ad superna totu rixiu contendente,  
vbi nobis constitutis, in expurgationem inuen-  
iuntur aqua, & ager fullonis, peccatorum fortes exte-  
rgentis, id quod nobis non paruum emolumenū afferat. Est denique huc noster status, sicut doctus  
virtutum magister, cuius omnis doctrina, omnes  
vores & opera ad hoc tendunt, vt puritatem &  
cordis munditiam discamus. Regulae eius mundi-  
tiam clamant, decreta, & scita ab ipso proposita  
munditiam postulat, omnia, quæ nobis, aut vi-  
denda aut facienda proponit, cuiusmodi sunt exem-  
pla fratrum, actiones seniorum, sanctorum occu-  
pationum multitudi, sacramentorum frequentia,  
orationis, & Psalmodiæ iugitas; minimorum de-  
fectuum correctio, castigatio corporis, circumspet-  
cio mentis, indumentorum vilitas, cellula pau-  
pertas, munditiam & puritatem exposcent. Qua-  
re egregiè dixit Hugo Victorinus. Religionem bo-  
nis & malis esse optimam. Facit enim (inquit) de  
malo bonum, de bono meliorem, & de meliori  
optimum. Et hoc sit quando visitat impium Deus:  
Vnde Psalmista, Visitasti terram, & inebriasti eam.]  
Visitat Deus & bonam & malam terram, terram  
meliorem, & terram optimam. Per timo-  
rem, terram malam visitat, bonam per incipien-  
tem Charitatem, meliorem per abundantem, optimam  
per perfectam. Si itaque religio malos emen-  
dat, bonos virget; meliores promovet; & optimos perficit; non dubium quin sit gymnasium pu-  
ritatis, & schola virtutis, in qua anima ab omni-  
um viotorum labore mundatur, & in vniuersis bo-  
nis actionibus eruditur. Hic ergo, à anima,  
ad mundum muliebrem peruenisti, quod non  
vnum tantum foemina ornamentum, sed omnia  
eius ornamenta, & indumenta designat, quia

Bern. ser.  
1. de S.  
Andrea.Iob. 14.  
14.Iob. 7. 3.  
Basil. in  
eū locum.Hugo lib.  
de classif.  
anim. c.  
17.

Psal. 64.

puritatem Dei munere, ac beneficio acquisuisti, que non vnam aliquam facultatem, sed omnes vires animae exornat, & ab omni macula, & forde purificat. Hec enim est, que cogitationes ordinat, affectus mitigat, sensus purgat, verba componit, opera perficit, & totum hominem indumentum spiritualis pulchritudinis induit.

*Religiosos aptissimos esse, ut Ecclesia proficit.*

C A P V T X V I I I .



Q uiam apte, & sapiete seit Dominus sua nobis beneficia detegere, ac opera mirabilia manifestare! Vere Deus scientiarum Dominus est! qui non tantum rerum naturas, verum etiam ordinem nouit, & quid sit prius, quid vero posterius, quid ex quo nascatur, & a quo, tamquam a radice, & principio pendeat, euidenter ostendit. Post mundum muliebrem, hoc est puritatem cordis suis religiosis prerogatum, vberum, & pilorum meminit. Vbera (inquit) tua intumescunt, & pilus tuus germinauit. Quia haec duo ex ornamento praedicto animae, ac ex munditia cordis emanant. Vbera enim illa sunt, quibus in canticis. Quam pulchra sunt mammae ruerator mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino.] Quae duplē compunctionem significant. Alteram corporalem, Alteram spiritualem. Has habet anima (inquit) Venerabilis Richardus de sancto Victore) quando corporum necessitate laborantibus, compatitur, sive in aliquo peccato, vel tentatione positis, consolationem, & orationem impedit. Haec vbera habet, quando nouit gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, infirmi re cum infirmis, vti cum scandalizatis. Pulchra sunt mammae illius animae, que omnibus ex affectu compatit, & nullius dolores sine cordis dolore potest praterire. ] Vbera profecto sponsa dignissima, quia vberibus sponsi simillima. De illis quippe dictum est: Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. ] Vis leite quam simila? Audi Bernardu. Duo sponsi vbera, duo in ipso sunt ingenitae mansuetudinis argumenta, quod patienter expectat delinquentem, & clementer recipit penitentem. Gemina, inquam, dulcedo suavitatis exuberat in pectori Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. ] Haec duo suavissima vbera premit spousam amabilis, patetque benignus, ut misericordiae lac nobis pusilli exhibeat. Magna ergo est similitudo vberum sponsae, & sposi, Nam si ille compatitur infirmitatibus nostris, nos ab illo discerem, curamus misereri infirmitatibus alienis si ille fugientes vocat, cunctantes inuitat, repudians venientes expedit, accedentes amplectitur, & ne iterum a se discedant, gratiae potentia resistit, ita & nos, cum illi similes esse cupimus, omnibus istis subiacemus affectibus, ut fratres nostros in virtutis regnum traducamus. Merito autem haec duplex compassio animae vberibus significata est, quia sicut in feminis vbera sunt adolescentiae, atque annorum nubilium indicia, eorumque lacte parvulos alunt, ac nutriti: ita compassio in anima signum est eam iam infantiam, atque pueritiam spiritualem excessisse, & ad adolescentiam, atque annos nubiles peruenisse, in quibus Christo, purissimo conubio jungatur. Et nihil est, quod aequi peccatores alliciat, & ad spirituales matres, hoc est, ad Evangelicos ministros adducat, ac dulcedo animi

A in ipsis inuenta, & misericoriam, ac infelicium peccatorum suscepit compassio.

Pili vero animae robur ad sustinendos praedicationis labores, & fortitudinem internam ostendunt. Unde Elias, vir pilosus esse describitur (ut inquit Hieronymus) in virilitatis argumentum. Quamobrem & habitatio eius in solitudine, & conuertationis austerior, non solum virum, sed & virum fortissimum demonstrabat. ] Et Dominus in Isaia cōminatur se rasturum à Iudea in nouacula conducta caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam, ut scilicet, nihil in ea forte robustumque residat: sed effeminate hominibus timidisque mulieribus comparetur. Et quidem huiusmodi pili non sine causa roboris sunt, ac virtutis indicia. Nam & pilosi homines fortissimi, & invincibilis esse solent, leues vero timidi, & imbecilles, & inde ad animum similitudinem trahimus, ut cui pili nati sint, eum animum fortem, & ad sufferendos labores aptum iudicemus. Anima ergo, post mundum muliebrem in religiosa vita comparatum, andit: Vbera tua intumescunt & pilus tuus germinauit, quia compassione & fortitudine, ex cordis puritate nascentibus, exornatur, ut apta sit, & proximos alere, & eorum miseras & infirmitates sustinere.

Cum primū anima vitam religionis aggreditur, se solam inspicit, se ipsam promouere studet, sui solius curam gerit, sola sua peccata luget, affectus cohibet, virtutes inquirit. Deo adhærere cupit, seque ipsam omnium studiosarum actionum labore perficere. Aliorum salutem, aut nihil, aut parum curat, neque proximos ad Dei amorem & cognitionem incitare contendit. Non mirum hoc, quia adhuc parvula est, & nec dum generandis, & educandis filiis idonea. Sicut enim natura infantes ad officium generationis non excitat, quia ad id maneris needum apti sunt, & omnes vires in eorum augmentum, non in specie humanae conseruationem occupat: ita gratia incipientes, & virtute pusillo, ad curam, & profectum aliorum querendum, non permouet, solo ipsis pubillorum spirituali augmentatione, & promotione contenta. At postquam anima religiosa ad perfectionem peruenit, vel plusquam mediocriter in virtute proficit, postquam acquisuit mundum muliebrem puritatis, tunc eius vbera, ea scilicet duplicitis compassionis que diximus, incipiunt gemmare, atque intumescere, tunc pilus, indicium fortitudinis, incipit gerinare, & ultra propriæ perfectionis curam, iam ad laborandum in domo Domini, & ad adiuuandos fratres, vocari se sentit: nec timet, in Deo confisa, proximorum saluti consulere, & onera animarum suscipere. Iam non dicetur illi per probrum: Soror nostra parua, & vbera non habet. ] Quia auxiliis diuinis multiplicata, & despectione facili grandis effecta, quid ni vbera habeat, suavissimi lactis plena, quo filios per Euangelium genitos valeat educare: Iam idonea est, ipsis suauiter monere, illos duriter increpare: prudentiam habet, vt lapsos erigit, tepidos inflammet, mutantes confirmet, audaces comprimat, bene currentes laudet, & omnibus perfectionis iter ambulantibus auxilium praebat. Antea loqui timebat, docere metuebat, aliena utilitatis sollicitudinem fugiebat, & si illi aliquod proximorum onus committebatur, non sine macore clamabat: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui quia puer ego sum. ] Postquam vero vberibus, & signis adolescentiae pollet, dicit: Vx mihi, quia tacui: ] & non superbia elata, neque ambitionis desiderio inci-

Hiero. lib.  
11. in Ezech. ad c.  
35.

Isa. 7. 20.

Cant. 8. 8.

Ierem. 1.

Va. 6. 5.

*Isa. 6.9.* tata, sed zelo diuini amoris succensa, ait ad Dominum: Ecce ego, mitte me.] Audetque imperio Domini, & prælatorum, profici, non quod primas cathedras teneat, aut vanas laudes populi aucepit, aut maiora commoda accipiat (hec enim substanæ, & expuit) sed quod magis animabus proficiat.

Sed videamus quæm apti religiosi ad iuuandas animas ex ipsa animi puritate reddantur. Vbera tua (inquit Dominus) intumuerunt, & pilus tuus germinauit.] Pilo, vt diximus, fortitudinem, & vberibus compassionem designans. Duo hæc in ministro Euangelij, ad onus animalium ferendum sufficiente: compassionem & misericordia illas querit, robore & fortitudine sustinet: compassionem fouet, fortitudine tuetur. Illa inuitat, hac allestas in virtute conseruat. Sicut enim natura duas animalibus vires ad lui sustentationem concessit, concupiscibilem, ut necessaria quererent, & irascibilem, ut quæsta defenderent, & iniurias sibi illatas propulsarent: ita Dominus his administris suis similes vites, multo tamen prestantiores, & nature facultatem superantes, attribuit, quibus proximos ad virtutem adducere, adductosque in virtute continent. Primo ergo compassionem & misericordiam animalium habent, ab ipsa puritate cordis exortam. Puritas namq; solum Deum amat, & ea, quæ Dei sunt, Deique solius causa in istis amore collocat, & si alterius causa in res amore feratur, eo ipso puritas non est, quia rerum ipsarum vilitate foedatur. Animas igitur Dei imagines, ab ipso vnicè dilectas, in quarum gratiam vniuersa, tum celestia, tum terrestria creanit, puritas diligit, illas inquirit, in eas se amore, & cordis teneritate diffundit. Qui honoris, aut voluptatis, aut diuinitatum cupiditate tenentur, non possunt animas præter quæstare, nec vt decet, earum vacare preceptibus, quia & harum rerum, quas amant, desideriis & occupationibus impediuntur, & omnia, quæ faciunt in eam adeptionem, tamquam in finem detorquent. Lacte compassionis sua opes, & cōmoditates proprias nutriunt, & in sui ipsorum utilitatem infundunt. Quibus dicit Dominus: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassus erat, occidebatis; igræ gem autem meum non pascibatis.] De quibus etiā Gregorius ait. Mens quippe concupiscentiæ exterioribus occupata, igne diuini amoris non calet, & idcirco ad supremum desiderium inflammare auditores suos nequeū verba, qua frigido corde profertur. Neque enim res, quæ in seipso non arserit, aliud accedit.] At isti, qui ad mundum mulierem peruenérunt, tam puri, tam amore rerum terrenarum expediti, non sibi ipsis, sed solis profectibus animalium inseruunt. Iste sunt honores, iste diuitiae suæ, in hoc suas delicias habent constitutas, vt peccatorem aliquem ex abyso iniquitatum extrahant, & Christo lucrificant. Hunc laborum atque studiorum sibi finem praesigunt; vt has gemmas pretiosas, id est, peccatorum animas à cenno impietas purgatas, in sponsi celestis repositorio recondant.

Christus autem religiosorum animas tam auidas puritatibus, & tam proxinorum dilectione flagrantibus, ad osculum suum, id est, ad suam familiaritatem admittit: ex qua non desideria placeendi illi, & maiorem ad lucrandas aliorum animas habilitatem accipiunt. Tanta nempe efficacia osculum sanctum est (inquit Bernardus) vt ex ipso mox cum acceperit illud, sponsa concipiat, tunc escentibus nimirus vberibus, & lacte quasi pinguiscentibus in testimoniū.] Et infra. Habes sponsa, quod petili, & hoc tibi signum, quia meliora facta sunt vbera tua vino. Hinc te scilicet noueris osculum accepisse, quod te

*Ezech.*  
34. 3.  
*Gregor. S.*  
*moy. c. 26.*

A concepisse sentis. Vnde, & vbera tua intumuerunt, facta in vberitate lactis, meliora vino scientia & culatis, quæ quidem inebriat, sed curiositate, non charitate, implens, non nutriti, inflans, non ædificans, ingurgitans, non confortans.

Ex isto osculo Domini, tam succensæ animæ in sponsu dilectione persistunt, vt nihil aliud sitiant, nisi illi placere, ciuique explorare rectissimam voluntatem. Quam cum in animarum lucris nouerint constitutam, hæc lucra, non oscitant, & velut aliud agentes, sed gaudent & strenue nituntur acquirere. Ad quæ ex cura sui ipsarum, atque ex propriis experimentis admodum efficiunt idoneæ. Quæ enim peccandi occasions fugerunt, sciunt optimè alias animas instruere: quo pacto laqueos, & decipulas peccatorum vitare debeant. Quæ proprias passiones vicerunt, & affectus comprecesserunt, rectè docent has immunes affectuum bestias mansuetacere, & iugo mortificationis domare. Quæ se exercuerunt in palæstra virtutum, apertissimè edicent, qua ratione sit virtutis arx obtinenda, & cum virtutis fortiter dimicandum. Et que in se ipsis, non semel, sed plus quam millies experta sunt imbecillitatem mentis humanae, sciunt optimè pusillanimis compatit, infirmorum misereri, tristes & marentes confortati, aueros attrahere, & peccatorum nexibus irretitos benignè & amicabiliter solvere, ac paulatim, & veleti per partes, tantis vinculis, & compedibus expediti. Adeò vt isti à viris spiritualibus in bonam frugem reuocati, possint iure dicere: Non habuimus pastores, qui non possint compati infirmatibus nostris, tentati autem per omnia, vt in se prius didicerint, quæcum doleat afflita relinquere, & quo pacto deberet vulnera nostra curare. Hæc enim scientia mendeni animabus, non in librīs, sed in proprio corde perdiscitur. Vnde, qui nonquam in proprium cor est ingressus, neque suos affectus compofuit, minimè sciet corda aliorum ordinare. Et sœpe illud dictum Salvatoris in seipso videbit complectum: si carcus cæco ducatum præset, nonne ambo in foueam cadunt?] Anima ergo religiosa, quæ exercitiis religionis suam prius puritatem quæsivit, habet vbera, non arida: sed suavisissimi lactis plena, quod possit proximos lactare, & vt filios Christi decet, educare.

Ex hac etiam animi puritate manat robur, & fortitudo curandis animabus, valde necessaria, quam etiam in veris & spiritualibus religiosis esse, certa notitia comperimus. Adeò, vt merito cuique illorum dicatur: Non solum vbera tua intumuerunt, sed etiam pilus tuus germinauit. Habent isti sanctam quamdam libertatem, ac prudentem audaciam ad dicendum, quod expedit: licet principes, aut nobiles ægre ferant: quia neque honores alicupant, quos concularunt, nec diuitias, quas reliquerunt. Non sunt ex illis magistris, quos Paulus vocat, pruriens auribus, Non ex illis prophetis, qui decipiebant Achab, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet Dominus in manus regis:] cum tamen Dominus contrarium dispoliuerit, & id numquam fuisse eloquutus. Sed cum in se ipsis veritatem ament, sine ullo timore alii etiam veritatem annunciant, & quia in hoc mundo honorē laudis non querunt, nec contumelias detractionis sentiunt. Habent, & animum intrepidum ad increpandum, quibus illud Zacharie optimè conuenit, Dominus exercitum proteget eos, & devorabunt, & subiecti lapidibus funda, & bidentes inebriabuntur, quasi a vino, & replebuntur, vt phialæ, & quasi cornua altaris.] Quia enim vident se à diuina manu protectos, audent seculari peccata amari.

*Matt. 15.*  
14.

*Tim.*  
4. 9.  
3. Rev.  
viii. 12.

*Zacharie*  
9. 1. §.

increpationibus reprehendere, & impios, verbis sacrae Scripturæ, tamquam lapidibus fundæ persecutor: zelo autem iustitiae inebriati, & quasi phialæ sacrificiorū & quasi cornua altaris sanguine, id est, sancta indignatione repleti, peccatores efficaci sermone territ, & Domino, cui rebeller exiterant, ingenti multorum admiratione subiiciunt. Ille quidem Elias, qui in veteri lege formam religiosorū prætulit, pro miraculo habitus est, quia impium Achab regem Israël hac liberrima oratione corrumpit. Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui reliquias mandata Domini, & sequuti estis Baalim.] Sed quantos similes Elias, homines pilos, id est, fortes, & inuitatos, religiones sanctæ proculerunt, qui cum nihil mundanum timeant, & nullum temporale emolumenū ex mundanis, aut querant, aut sperent, liberè os aperiunt, non solum, ut spiritum attrahant, sed etiam, ut quo attraxerunt spiritu, quoque, siue nobiles, vel ignobiles, siue principes, siue subiectos, audacibus verbis reprehendant.

Habent tandem vires ac netuos ad eos labores sustinendos, qui in hac quæstione animarum negotiatio passim occurunt. Qui enim internam mentis munditiam sunt adepti, sine labore: sed solo intellectu, & affectu, atque vita similitudine Christo iunguntur, à quo fortitudinem, & animum inuitatum ad resistendum accipiunt. Hac enim coniunctione patiens Iob, terribilibus etiam inimicis insultat, dicens: Pone me, Domine, iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me.] Sunt etiā rebus terrenis, & scæculi curis exonerati, atque adeò multò facilius proximorum onera portant, quam alij, qui propriis opibus, & honoribus ac deliciis onus, vix ito ingo durissimo portando sufficiunt. Dominus enim Euangelij ministris præcipit: ne portarent facultum, neque peram, neque calceamentaj est (ut exponit Ambrosius) ne possiderent aurum, neque argentum, neque rerum mortalium affectibus subiacerent, quia his possent à ministerio sibi commisso præpediri.] Qui ergo hac impedimenta molestissima abiecerunt, idonei sunt, vasa Domini, id est, proximorum animas, more Leuitarum deferre, & in celeste tabernaculum portare. Tandem assiduo rerum spiritualium vsu didicerunt sibi ipsis non fidere, quia hæc doctrina spiritus in schola propria diffidentia perdiscit. Istos autem de se non præsumentes propriamque vilitatem agnoscentes, confortat Deus, ut res magnas, & vires hominis excendentes efficiant. Vnde Richardus Victorinus ait: Ita que infirmitatem suam cognoscentibus, & per hoc se humiliantibus, & in se non confidentibus, robur præbet Christus, ut carnaliter esse fortes desinant, & spiritualiter conualescant. Ita dū de se desperant, & in Christo sperant, mutant fortitudinem, & assument pennas, ut aquilæ, atque volant. Si ergo, o anima, ad mundum muliebrem spōse Christi, id est, ad cordis munditiam per statū religiosum peruenisti, non dubites tibi dictū esse: Vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit.] Quoniam gemina fratris copassione adornata, & fortitudine roborata, iam apta effeta es, ut Christi parvulos nutrias, & eorum molestias, imbecillitatēsque sustentes. Hoc autem manifestè religiosa vita subministrat, que disciplina animi puritatem attulit, diuinarum Scripturarum studio scientiam attribuit, & assiduo labore vires ad perseuerandum comparauit.

\*\*

I. Reg. 18,  
18.

Iob. 17.3.

Lucas 10.  
4.  
Ambr. lib.  
7. in Lu-  
cam.

Richard.  
in cant. c.  
21.

A Religiosos non solum aliis prodeesse, verum etiam in seipsis aliorum fratribus inspectione proficere.

### C A P V T X I X.

Vt profectibus animarum inserviant, & in fratribus salutem incumbunt, illud semper timere debet, ne dum aliis per doctrinam ministerium prospiciat, sibi ipsis per superbiam officiant. Tam pestiles enim est tinea superbia, ut præstantissimis operibus virtutis se ingerat, & inde homo soleat intumescerre, vnde debuerat humilitate proficere. Quāuis autem omnia virtutis opera hoc possint subire superbiam discrimen, sed illa præcipue huic patent periculo, quibus proximos nostros iuavimus, & in iter salutis adducimus. Quia cū altiora, & illustriora sint, proclivius est Diabolo ex illis occasionem elationis in nobis captare, & in alto positos, maiori casu, & ruina proteneret. Ideo Dominus in discipulis suis missis ad prædicandum, huic malo superbiae primum occurrit: Gaudentibus namque illis, quia dæmones subiicerentur ipsis, Dominus ita respondit: Videbā Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem: Ecce dedi vobis potestatem calcadi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc, nolite gaudere, quia spiritus vobis subiicitur: gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in celis.] Et ab hoc malo superbiae sancta religio abude nos liberat, exempla nobis sancto obificiens, quibus semper proficiamus spiritu, & in humilitate, & contemptu nostri crescamus. Hoc autem bonū ingens illud quidem, ad faspiciendum Dominus per sanctum prophetā sequenti oratione declarat, dicens: Et eras nuda, & confusione plena.] Quæ verba aliis iam explicatis subiecta, non minimam dubitationem ingerunt. Si enim anima mundum muliebrem adepta est, quomodo nuda est? si vberibus compassionis, & pilis fortitudinis exornata, quomodo confusione plena? Quam ob caufam ei ignominiam & confusione adscribit, quæ iam viuit, quæ iam multiplicata est, & grandis effecta, & quæ in cubiculo magni regis ingressa, ornamentum puritatis comparauit. An potest simul esse nuda, & vestita? Ignominia coeperta, & sanctitatis honoribus comperta, & polita?

Hæc verba, que prima fronte malum pra se ferunt, vnum ex ingentibus bonis status religiosi designant. Illud autem est, quod diximus, bonum humilitatis atque modestia, quod homo verissime acquirit, cum inter illos viuit, quos caute vivere, & se meliores & sanctiores esse cognoscit. Quemadmodum enim Israëlite, homines quidē statuta processi, viribus robusti, & ad bella expeditissimi, assiduis laboribus, & consuetudine preliandi, se ipsos cum habitatoribus terra promisæ conferentes, despiciunt, atque contemnunt: Vidimus (inquit) monstra quædam filiorum Enac, de genere Gigantao, quibus comparati, quasi locusta videbamus.] (Et vtinam hæc aspernatio sui, nō ad pusillanimitatem, & ignominiam, sed ad spem in Domino colloquiantur contulisset, quia sic euasissent suis hostibus foriores.) Sic homo, quamvis omni virtutum genere induitus, & sanctorum operum opibus decoratus, se melioribus comparans, virtutēque suas cum illorum virtutibus metiens, vniuersa, que habet, minorata reputat, sique ipsum verissimè minorē agnoscat. Quæ cognitio propriæ vilitatis, cum non timi-

Luca 10.  
18.

Ezech.  
10. 7.

Num. 13.  
34.

ditati-

Eccles. 4.  
25.Hieron. in  
vita Pauli.Bern. e. 4.  
in Psalm.  
Qui habet.

ditati, sed humilitati seruat; cum non ignauia, sed seruori, & desiderio perfectionis proficiat; magnum est praesidium sanctitatis: & unde quis se deicit, inde veram gloriam & sublimitatem conquirit. Hec est illa confusio, ut est in Ecclesiastico, adducens gloriam & gratiam, quam magnus Antonius viro Paulo Eremita conceperat, cum, teste Hieronymo, tanta sanctitatis memoria compunctus, discipulis suis dicebat: Vix mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero. Vidi Eliam, vidi Ioannem in deserto, & vere vidi Paulum in Paradiso.] An hæc confusio, & ignominia non adducet gloriam, & gratiam, quæ nos ad currendum in via Dei, ad laborandam, & ad perfectiorum imitationem inuitat?

Contingit homini religionem ingredienti quod nobilissimo comiti curiam regiam introcenti, aut ditissimo Episcopo, Pontificis summi aulam adeunt, evenire solet. Ipsi enim, qui in sua urbe erant omnium principes, & sine controversia, splendore domus, multitudine famulorum, nitore vestium, & dignitatis magnitudine reliquos superabant, a propria urbe, cui dominabantur, abduci, & in aulam regiam, aut pontificiam ingressi; ita pusilli sunt, & abiecti, ut nullam amplitudinem, nec honoris gradum habere videantur. Nam illum, illusterrimi duces, serenissimi principes, & turba magnum; istud vero, archiepiscopi, patriarchæ, & splendidissimum Cardinalium cætus obscurant. Iam qui erecti, & gloriari inter suos incedebant, inter illos aulicos erubescunt, & inglorij atq; obscuri procedunt. Hac autem obscuritas, magna gloria est. Primum quidem quoniam honor est eximius inter illos splendissimos principes esse aliquid, ab eis comiter suscipi, & benevolentissime honorari, multo major, quam si a propterea subditis honorem acciperent. Deinde, quoniam magnifico apparatu illorum principum incitati, se ipsos superant, & elegantiorum cultum, lauiores epulas, & famulorum illustriorem magnificientiam ostendunt. Ita prorsus, qui inter mundanos, & seculares aliquid esse videbatur, quia peccatis abstinebant, castitatem amabant, elemosynas erogabant, sacramenta frequentabant, aliquatum temporis sanctæ meditationi concedebant in Christi aulam, scilicet in religionem appulsi, & ad religiosorum conuentum admissi: tam prope nihil sunt, tam parum se in virtute proficisci conspicunt, ut elementa virtutis, & sive abnegationis principia discere incipient. Qui ante in seculo gloriose incedebant, tamquam suis sodalibus sanctiores, inter religiosos erubescunt, ac si essent omnibus viliores. Credo nullū hic esse (ait Bernardus suos fratres alloquens) qui si quartam partem eorum, quæ facit, in seculo actaret, non adoraretur, ut sanctus: reputaretur, ut Angelus: nunc autem quotidie tamquam negligenter agitur, & increpat.

O quam verum hoc. Nam oculi religiosæ vita, & lyncei sunt, & operibus pulcherrimis videndi asperni. Ex ea autem parte, qua ab initio institutionis sua opera virtutis sublimia respexit, non miratur tyronum, sicut bonorum opera, quæ in seculo quidem erant rara, & in coenobio sunt quotidiana; in seculo, si cum iniquorum vita conferantur, erant magna; at in monasterio perfectiorum operibus comparata, imperfecti reputantur, & parva. Ex ea vero parte, qua oculos lynceos habet, pusillos defectus, & penè inuisibilis maculas, quæ secularibus erant ignotæ, comprehendit: Hinc sit, ut qui boni erant in mundo, statim mutantes, & à seculari vita ad religiosam venientes, quotidie negligentiae, & tepidi-

A tatis arguantur, & tamquam ignavi milites incrementur.

De illo sane, qui tam felix est, ut in religiosorum numerum asciscatur, illud dici potest, quod est apud Iob. Replicet homines & dicet: Peccati, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi. ] Nam à iumentis putrescentibus in stercore suo, hoc est, a peccatoribus, & iniquis, inter quos vitam agebat, oculos auertens, & homines, eos nempe, qui ratione reguntur, & ex præscripto virtutis gubernantur, considerans, se ipsum, licet bonum, & timoratum, deicit, & defectibus plenum esse non dubitat. Hoc Gregorius magnis in eundem locum, ita confirmat. Sanctorum virorum exempla conspicit, atque eorum comparatione se pensans, iniquum se esse deprehendit. Qui enim plenissime intelligere appetit, qualis est, tales nimur debet conspicere, qualis non est, ut ex bonorum forma metiatur quanto ipse deserter bono deformis est. Ex his quippe, quibus plenissime bona adsunt, perpendit recte, qua sibi minus sunt, atque in illorum pulchritudine conspicit facilitatem suam, quam in semetipsa, & potest perpetui, & sentire non potest. Lucem namque debet conspicere, qui vult de tenebris iudicare, ut in illa videat, quid de tenebris astimet, per quas videre præpeditur. ] Ad cætum ergo religiosum euocatus, quasi infans inter sapientissimos viros constitutus, pudore suffunditur, & quasi pannosus pauper inter dñitores, & nobiles positus erubescit, aperit oculos mentis sue, & tantam in aliis lucem sanctitatis aspiciens, tunis tenebras sive imperfectionis aduerit, tum qui aliquid se esse putabat, iam vitam suam anteactam, tamquam dignam castigatione reprehendit. Huius typum gesit vidui illa Saeptrana, cuius filius mortuus est, postquam Eliæ subministravit confidentia panem, & pietatis alimentum: Dixit enim ad prophetam. Quid mihi, & tibi, vir Dei ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? ] Ac si diceret (ut Iosephus, Richelius, & Lyranus interpretantur) tanta est, o Eliæ; sanctitas tua, ut & ego, sicut timens Deum coram te posita, tibiique comparata, oculis Domini valde imperfecta apparuerim, adeò ut propterea (quasi meis peccatis indignatus) & filium meū interficeret, & me hac acerbissima pena mulctauerit. Sic prolus in religiosa domo recenter admissus, nisi excors sit, & luce interiori priuatus, tantam adolescentiolorum puritatem videns, tantam virorum doctissimorum modelliam, & humilitatem aduertens, tantam seniorum conspiciens sanctitatem, scipsum despiciet, & ob peccata præterita, non diuinis donis, sed pœna, & indignatione iudicis, dignum agnoscet.

Hoc autem bonum, ex religiosorum societate, non tantum incipientes, sed etiam veterani, & in religiosa disciplina diu multumque exercitati suscipiant. Multi enim illorum inter sanctiores, & perfectiores vitam degunt, & in illis tamquam in speculis lucidissimis suis defectus, & vita deprehendunt. Nullam habent occasionem dicendi illud superbi Pharisæi: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptiores, iniusti, adulteri. ] Sed potius cum humili publicano à longe stantes, & præ compunctione, nec oculos ad colum leuantes, peccatisque percussentes, sicut prauitatem considerant, erratorumque veniam humilietur petunt, dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori. ] Alij autem, qui re vera meliores sunt, & tamquam soles splendidissimi inter stellas resplendent, aliisque lucem doctrina sua, & calorem vita puritate subministrat,

Iob. 33. 27.

Greg. 24.  
mor. c. 6.3. Reg. 17  
18.Iosephus  
antiquit.  
1. Richelius,  
2. Lyrus.  
4. reg. 17.Luc. 18.  
15.

Ibid. 13.

etiam

Ephes. 4.  
11.Greg. 24.  
mor. 6.1. Cor. 11.  
9.2. Petr. 3.  
15.

Cant. 3.2

Richard.  
cant. 6.4

etiam habent vnde se deiiciant, & in conspectu parvorum contemnunt. Deus enim prouidentissimus iustorum pater, ita illis dona tribuit, vt non omnia in uno eodemque horaine in supremo gradu reponat. Et ipse dedit (inquit Paulus) quodam quidem Apostolos, quodam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores; vt scilicet propheta in Apostolis gratiam Apostolatus iuspiciant; & Apostoli in prophetis donum propheetandi venerentur. Et sic Euangelista in pastoribus, & isti in Doctoribus aliiquid videant, quo illos se maiores, & præstantiores agnoscent. Et inter ipsos Apostolos, qui primitias spiritus accepérunt, & sanctitatis culmen obtinuerunt, ista fuit donorum ac virtutis prouida distributio pro humilitate gemma conservanda. Paulus namque (inquit Beatus Gregorius) cùm ceterorum sanctorum sollicitudinem in prædicatione robustius laborando transcenderet, & ab elatione se premeret, & vires suas in humilitate gremio nutritre, crudelitatis suæ antiquæ non immemor, Apostolorum omnium innocentiam contemplatus, ait: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia perlequitus sum Ecclesiam Dei. ] Et tamen eorumdem Apostolorum primus, quasi accepti principatus oblitus, ac si minus ipse aliquid saperet, in Paulo sapientiam miratur, dicens: Sicut & charifimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis. ] Ecce Paulus in Apostolis miratur innocentiam: Ecce Apostolorum principis miratur in Paulo sapientiam. Quid est hoc, nisi, quod sancti viri dum virtutem consideratione vicissim sibi alios præferunt, voluntia animalia alarum percusione se tangunt, vt eo ad volatum se altius excitent, quo humilius alter in altero, quod admiretur, yides? Ex hac ergo Domini distributione prouenit, vt in religione pusilli minusque perfecti in quibusdam donis Dei superent sanctiores: quod isti considerant, illamque eminentiam callentes, non fuisse, sed verè, & ex animo se minoribus submittunt, & ac si essent nudi, & egeni, coram illis se ipsos despiciunt.

Sic anima religiosa, casta Christi sponsa, per viros & plateas querit quem diligit anima sua. Vici enim sunt perfectiores, plateæ verò, quæ in maiorem tendunt latitudinem, significant imperfectiones: & dum in utrisque bona, qua habet, perpendit, in eis Christum querit, & ab illis accipit incrementa virtutum. Vnde Richardus Victorinus. Solent boni virtutes suas inuicem accendere, & alter ab altero profectus pariter, & humilitatis incitamenta sumere. Vnde contingit, vt dū iste illius patientia, & ille illius obedientia, iste illius charitatem, & ille illius munditiam considerat, semper alter ab altero sumat, vnde in bonū crescat. Multū enim ad studiū emanationis accinguntur, quando in aliis cernunt bonum, quod ipi minus habent, & dum inuicem superiores se arbitrantur, & alter alterius bonum reveretur, & diligit, a mano illud, suum facit, & se in humilitate cultodit. ] Hanc etiam mutuam iustitiam excellentiam in rebus à natura dispositis adumbratam, & delineatam aspicimus. Ut enim in elementis ignis calore vincit aërem, sed ab eo humiditate vincitur: & aër eadem qualitate excellit aquam, sed ab ea frigiditate excellit: aqua verò terram frigide superans, à terra siccitate superatur. Utque in aliis rebus, aurum præstat ferro valore, & pretio, sed inferius est fortitudine: & homo universis præstantior animantibus, à multis eorum vincitur diuinitate: ita in iustis ac sanctis, idem

A profrus euenire non dubium est. Iste eminet obedientia, ille mansuetudine, vnu gratia contemplationis ornatur, sed imbecillus est, nec valet corpus vigilis, ieiunii, & alii alperatibus corpus attenerere: alias verò vigiliarum & afflictionum corporalium tenax, dono contemplationis caret: Quidam uberrimis lachrymis irrigatur, & diuinis consolationibus recreatus, quodam haustus celestes experitur, sed steriles est, nec animarum lucris accommodatus, alter verò, qui velut ignis delicta populorum, efficacia verbi, & dono prædicationis absunit, semper ariet, nec illas est consolations expertus: Sic anima sua dona consideratione præteriens, & fratum suorum virtutes recogitans, illasque, quibus caret, exoptans, se nudam existimat, & de nuditate & paupertate erubescit. Sed, ô felix paupertas, ô pretiosus de pectus, ô illustris contemptus, ô ignominia gloriofa, que animam in modestia continet, quæ sanctorum, & Dei amatorum est propria, quæ est veræ gloria, & maioris sanctitatis exordium. In me sit nuditas, & ignominia ista, vtinam Dominus anima mea dicat. Et eras nuda, & confusione plena.] Nec enim tunc nuda omnino erit, quasi non munulum muliebrem, quo ornatur, comparauerit: sed iudea, quia nondum ad omnem perfectionem sibi concedendam peruenit, neque confusione afficeretur, quasi deformis, sed erubescet, quasi amans, & desiderans Deum suum, & nudam se putans prædeiderio majorum honorum, & quasi æmulans charismata meliora. Hæc sunt, ô anima mea, alia eximia bona, que in religioso statu suscepisti, desiderabilia profecta super aurum, & lapide pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum: ] quod si parati videntur, attende, audi, diligenter considera, & adiiciam tibi multò maiora.

Ezecl. 16.

Ezecl. 16.

Luc. 7.

Deut. 32.

19.

Psal. 32.

13.

**B** A m ampliora vita religioæ bona in sancto propheta respondentia præstantiora dona nostri status eluent: iam se nobis ostentant eximia diuini amoris insignia, que, qui in hoc statu positus meditatè perspexerit, maioribus beneficiis se à Domino profectum esse perficiet. Vnum autem est, quod sanctus Ezechiel, illis sequentibus verbis declarat. Et transi per te, & vidi te. ] Iam Dominus misericordie oculis animam viderat, dixerat quippe: Transiens autem per te, vidi te conculcarī in sanguine tuo. ] Quid ergo designat iste nouus aspectus, quo iterum anima à Domino transeunte videtur? An sicut ille aspectus misericordia fuit, ita iste est aspectus iustitiae? Dominus enim nonnumquam videt ad misericordiam, nonnumquam ad iustitiam. Si non aspiceret ad misericordiam, non esset illam viduam consolatus, quæ vni filij mortem deflebat. At cùm vidiisset, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. ] Si non aspiceret ad iustitiam, non cecinisset Moses: Vedit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt cum filij tui, & filia. ] Et sanctus aspexit aspectus Domini misericordia est. De celo respergit Dominus, vedit omnes filios hominum, de preparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram. ] Qui finxit sigillatim corda eorum. Aspectus vero punientis: Dominus de celo

prospexit

prospexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum; Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.] Primum asperatum, sanctus propheta illis verbis postulabat. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimittite vniuersa delicta mea.] Secundum vero alio loco timebat, cum diceret: Auerte faciem tuam a peccatis meis.] Vtrumque autem coniunxit, ita canens: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala, vt perdas de terra memoriam eorum. ] Si ergo prius Dominus animam antea viderat aspergula misericordia; forte nunc videt aspergula iustitiae. Sed si tunc ad misericordiam te vidit, o anima, quando volutabar in sanguine tuo, cur non nunc te ad misericordiam videat, quando ornabar dono suo? Si te aspergit oculo miserationis peccatis foedatum, & vitiis compeditam, cur non te aspergit eodem miserationis oculo, puritate cordis expolitam, & decorre humilitatis exornatam?

Quod est igitur istorum duorum aspectuum discrimen, nisi quod ille misericordia, iste autem non cuiusque, sed eximia cuiusdam misericordia fuit. Denique vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium.] In his enim duobus aspectibus Dei, duas mihi vocaciones depictas esse video, alteram, qua anima vocata fuit ad religionem: alteram, qua vocata fuit ad perfectionem. Illa vocatur, vt sit serua; ista, vt sit amica. Illa vocatur, vt timeat; ista, vt amet. Illa, vt defleat peccata; ista, vt à peccatis lata in virtutum possessione congaudeat. Illa admittitur in domum Domini, hac extollitur ad familiaritatem Domini, illa concepit bona vita desideria; illa arripit perfectae vitae & sanctitatis consilia. Nam illi qui sæculum à se ablegare disponunt, non statim desideria perfectionis concipiunt, nec toto conatu, vt ad perfectionem capessendam necessarium est, iter virtutum atripiunt. Quemadmodum enim in naturæ operibus, Deus ab imperfecto ad perfectum, non imbecillitatis, sed suavitatis causa, procedit. Vnde, prius orbem, ex nihilo fecit; postea sex dierum spacio distinxit, & ornauit: & prius legem naturæ tulit, qua hominibus sui cultus tudimenta tribueret; deinde legem scriptam, qua timorem, & reverentiam docet: Et tandem legem gratia, cuius praefidio in amore & desiderio sanctitatis erudit. Ita in vocatione animæ pedetentium progrediens, primò eam ablactat, & ab amore rerum terrenarum abducit; & hoc fecit, cum vidit eam conculcata in sanguine suo, & dixit illi: Vtue; quod misericordia fuit: postea vero solido pane cælestium desideriorum refecit, & ad perfectionem exultul, cum vidit eam, & ecce tempus eius, tempus amantium.] Et hoc est non cuiusque misericordia opus: sed magnæ, & ineffabilis misericordia: quam regius propheta cupiebat, dicens: Miserebitur mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Nam communem misericordiam accepérat, cum fleuit, cum peccata sua abominatus est, cum statum inimici deseruit, cum dicentes sibi: Peccavi Domino, responsum est ex ore Dei; Transtulit quoque Dominus peccatum tuum.] Sed magnam misericordiam nondum fuerat consequens, vt scilicet in pristinum familiaritatis gradum à Domino admitteretur, & in fastigium sanctitatis perdita attolleretur: Ideo magnam postulat misericordiam, & qui iam lotus erat, amplius latrari appetit. Amplius (inquit) lana me ab iniunctate mea] vt omnino mundatus, iterum in virum secundum cor Dei, in virum scilicet, perfetum euadat. Quid amplius queris, o David (ait

A) Chrysostomus, istud sancti tegis desiderium insinuans) persevera gratias agens, indesinenter glorifica, quia ablatum est peccatum tuum. Sed volo (inquit) cicatricem extenuare, ablatum est vulnus, vollo & pulchritudinem recipere.] Fuit ergo misericordia Dei, quod David tot peccata, adulterij causa perpetrata, dimisit, sed ad magnam misericordiam pertinuit, ita lapsum erexit, vt nec signum casus, nec cicatricis vestigium permaneret. Ad magnam misericordiam pertinuit, seruum rebellem, qui regnum Domini insolenter inuaserat, iterum in pristinam amicitiam admittere, & in antiquam familiaritatem reuocare.

Aspicit itaque Deus iterum animam religiosam magna misericordia oculis, cum ei desideria sanctitatis, & subfida potentissima astequenda, perfectionis instillat, ita vt dicere ei possit, non vt antea: Vidi te conculari in sanguine tuo, ] sed: Ecce tempus tuum, tempus amantium.] Sed istos duos aspectus Domini exquisitius aperiamus, vt quanta sit in religione cōmoditas diuina familiaritatis pādatur. Principiō quidem aspicit Deus animam, quam ad se vocare disposit, & adducit eam, vel per seipsum tantum secretissima inspiratione tangens (vt pulchre explicat Cassianus) vel adiunctor etiam hominum ministerio, eorum aut verbis, aut exemplis alliciens, vel tandem laboribus, tribulationibus, & flagellis, intrare compellens. Exit illa stupens, & tremens, quia ad quantas delicias vocetur, proorsus ignorat, putat se ad exilium, ad tristitiam, ad labores immenses impelli; sed, o bone Deus, quām alium stratum rerum inuenit, quām ipsa existimat. Illa castissima Ruth, quæ genealogia Domini meruit adscribi, cum quanto timore patriam deseruit, & cum socri sua Noemi in terram sibi ignotam, ac extraneam perrexit: Quām seipsum cogit, quantam vim infest, vt dicat socri: Quæ terra morientem suscepit, in ea moriar.] Ibiq; locum accipiam sepulture? Hæc mihi faciat Dominus, & haec addat, si nō sola mors me & te separauerit. Nihil nisi mortem videt, nihil nisi loquac sepulcræ considerat, nihil nisi confortum tristis & desolatæ viduæ meditatur. At cū minus putabat, venit in Bethleem, in domum panis, inuenit sponsum, reperit maritum, cui confidenter diceret: Ego sum Ruth ancilla tua, expāde palliū tuum super famulam tuam, quia propinquus es.] Reperit, qui se benediceret, quia nō fuit secuta iuuenes pauperes, sine dinitesset ei adhæsit, à quo, primò sex modios hordei, deinde amantissimum filium suscepit. Et quæ inter suos erat vidua, & sterilis, inter extraneos, & fecunda, & maritata sine spe talis successus, euasit.

O anima mea, vide in hac historia tui euentus imaginem, tue fortis felicitatem! Quantum timuisti patrium solum relinqueret, parentes fratres, & cognatos deserere, rebus temporalibus valedicere: Iam tamen primo aspergula Domini permota; & vocatione animata, aula es vitam mutare, nouum statum assumere. Sequuta es Deum tuum tanto metu, ac si herum severissimum sequereris, illud discipuli increduli intra temetipsum inculcas: Eamus & nos, & moriamur cum eo, ] Ad carcerem, (vt tibi quidem videbatur) trahebaris, ad exilium mittebaris, ad mortem ipsam terribile ducbaris. Quis enim carcer mundano homini tristior, quām se intra augustæ cellæ ambitum includere? Quod exilium infelicius, quām dulcissimum parentum confortio, & charissimorum fratrum, propinquorum, & amicorum aspergula priuari? Quæ mors terribilior, quām omnia mundana linquere, sensus ab vniuersis deliciis abs-

Cassian,  
col. 3. c. 4

Ruth. 1.  
17.

Ruth. 5.  
9.

Ioan. 11.  
16.

trahere,

Ruth. 1. trahere, proprias volūtates exuere? Dicebas tamen vocanti Deo, magno timore concusla: Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, si non sola mors me, & te separauerit. ] Viciisti sensum tuum, sequuta es Deum tuum, ingressa es monasterij carcerem, locū exilij, vt ibi, aut vitam tristissimam, aut mortem amatissimam expectares. Et, ô anima, quām imperata fors tibi obtigit. Inuenisti enim non carcerem, sed aulam regiā, omnibus opibus, ac deliciis instruētam, plānè Bethlehem domum panis, in qua referata es pane consolationū celestium, quibus voluntates fæculi comparatae, vilissimæ, & sordidissimæ, & abominabiles reputantur. Inuenisti non herum implacabilem, qui te opprimeret operibus lutu, & latenter, sed patrem amabilem, qui te laudaret, & intra cōscientia secreta, incredili suauitate diceret: Benedicta es filia, quia priorem misericordiam, quam tibi per baptismum consulisti, hac, qua mundum deseris, posteriore superasti, ] & quia non es sequuta iuuenes pauperes, sive duitives, insipientes scilicet, & pueriles cogitationes, qua te, aut metu paupertatis, & miseriarum ab hoc statu abripiabant, aut more diuitiarum, & delectationum infestabant. Inuenisti spōnum qui sex modios hordei tibi liberaliter daret, imd & qui qui ad eum argenteis, vt est apud Oseam, & coro hordei, & dimidio coro hordei sibi te in uxorem coēmeret. Nam argento verborum, & inspirationum sbarum, & hordeo timoris, & donorum, quæ incipientibus erogantur ( hordeum enim Deus, vt inquit Origenes, imperitionibus, & animabilibus parat, amoris tritico interim suo tempore referato ) te sibi in sponsam adiunxit. Inuenisti tandem virum, ex quo filium Obed, id est, seruum fulcipes, & cor Deo subditum, & legi eius subiectum, mandatisque eius obediens comparares. Reperiisti sanè regem potentissimum, simul & benignissimum, qui iterū transiens per te, & videns te, trahebat, non in locum horroris, sed in terram promissionis, in paradisum volūptatis, in cubile amicissimum, in tempus amantium. In quo non timore pœnarum coacta, sed pulchritudine virtutis accensa, amorēque Domini illecta, & vias mandatorum curæ, & semitas consiliorum ingrediereris.

Orig. hom. 12. in Ge- nes.

Matt. 19. 17.

Cassian. Col.

Hec ergo magnum Dei beneficium est, & omnibus votis suscipiendum, quod Dominus ad vitam religiosam nos vocans, vocavit in locum amicorū, & in tempus amantium. Hoc enim vita secularis à vita religiosa secessit, quod illa est locus seruorum, & tempus, quod in ea transgitur, ex natura statutus, est tempus eorum, qui timent, ita vero est locus amicorū, & tempus in ea insampū, est tēpus eorum qui amant. Iuueni namq; seculari, qui necdū sēculo renunciare disposuit, dictum est tantum, vt vitam æternam assequatur; Serua mandata. ] Eadem tamen maiora meditanti, & altiore statum appetenti, cōsilia adiecta sunt Si vis (inquit) perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. ] Vita ergo sēculari præcepta proponuntur; religiose, cōsilia. Non quod illa aliqua cōsilia non seruerit, nā & eleemosynæ, & orationes assidue, & alia huiusmodi; sēpe cadunt sub consilio; sed quod perfectissimum cōsiliorum, nempe dimissionis rerum, abdicationis propria voluntatis, & castitatis perpetuæ, voto firmatæ, expers sit. Nec quod ista à præceptis sit libera; sed quod præceptorū obseruationi cōsilia illa perfectissima adiiciat. Iusti enim (vt Cassianus ait) quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, vt iustitia legis, non solum implere, verū etiam superare contendat sicutque deuotio eorum legali maior imperio,

A quæ obseruantiam cumulans præceptorum voluntatia addat ad debita. ] Hoc autem est vitam sēcularem esse seruorum, religiosam verò, amicorum, & tempus illius esse tempus timentium, illius vero esse tempus amantium. An non serui sunt, & timentes, quibus hoc tantum datur elogium? Cū feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicit, Serui inutiles somus, quod debuimus facere, fecimus. ] Ac si dicat (inquit Bernardus) si solis contenti eftis præceptis, & traditionibus imposita legis, & non sponte etiam perfectionibus vos consiliis & suasionibus mancipatis, liberi quidem eftis à debito, non tamen pro merito glorioſi, euasiſtiſ pœnam, sed nō acquisiſtiſ coronā. ] Illam intellige, quæ perfec̄tis, & omnia relinquentibus tribuitur. An non amici sunt, & amates, qui non præcepto compulsi, sed amore Domini incitati, multa offerunt Domino non debita obsequia, quorū operatione capaces redduntur diuina familiaritatis, & secretorum celestium, vt sic merito possint audire: Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumq; audiui à Patre meo, nota feci vobis. ] Præceptum (inquit Ambrosius) in subditos servat, consiliis amicis datur. ] Hi ergo, qui sub consiliis Euangelicis vivunt, qui solam maiorem Dei gloriam in pīcientes, cōſilia custodiunt, amici sunt, itaſtū habent amicorum, viram amantium.

Iste igitur est status religionis, status amantium, in quo doceunt famulari Domino, non timore pena, vt serui, nec mercedis intuitu, vt mercenarij; sed vt filii charissimi, amoris obtentu. Hie non operamur tantum, quod debemus, sed quod possumus, non curamus obligationem implere: sed possibiliati satisfacere, non vt dicatur nobis, fac quod tēneris sed ne aspires ad ea, quæ non potes, non vt calcaria adhibeantur, sed vt frānum nobis iniciatur. Hie veluti amatores fideles laboramus semper Deū cogitare, Deum concupiscere, Deum loqui, Deum in omnibus operibus quæritare. Non hic cogitationes pernicioſe, imò nō otioſe, & inutiles, sed sanctæ, proficia, & cōcœlestes admittuntur. Non desideria inanit, rerum temporalium, sed vīlla rerum supernarum excipiuntur. Non verba iocularia, & detractoria, sed feria, & plena sapientia locum inueniunt. Si quis aliquod veibum sēculare, aut minus circumspectum in medium profert, conuinicitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, non deest qui sermonem illum præcidat, & aut vtilem de Deo, quem amamus, iam incepit continuet, aut nondum ceptum ingerat. Opera vniuersa in hoc tendunt, vt Domino placeamus, cūmque propitiū, & benignum inueniamus.

Quod si amantium est cupere amati præfētiam, ciūque dulcissimo aspectu frui, hic est veluti religioſa vita scopus, & finis, Dei ingem præsentiam inquirere, ad eam omnibus votis aspirare. O quoties anima verē religiosa, tamquam verē, & ex corde amans, illud sancti Davidis inculcat: Exquisite facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. ] Et illud: Ostende faciem tuam, & salvi erimus. ] Et rursus alibi: Illumina faciem tuam super seruum tuum. ] Faciei conspectum petit, nec istud præsumptionis est, sed amoris. Licet enim sciāt dictum esse a Domino: Non videbi me homo, & viuet, ] non tamen aliiquid aduersus hoc decretum se existimat postulare, cum iam mundo sit mortua, curisque sēcularibus minimè viuat. Petit itaque ostensionem diuina faciei, & audet eum Moysē dicere: Si inueni gratiam in cōspectu tuo, ostende mihi faciem tuā, vt sciām te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. ] Hoc sine dubio amantium est, & magni amoris in-

Lnc. 17.  
10. Bern.lib.  
de præ-  
pro. & di-  
ſponsatio-  
ne.

Ioan. 15.  
15. Ambr.lib.  
de viduis.

Psal. 26.  
8.  
Psal. 79.  
8.

Psal. 30.  
17.  
Exod. 33.  
20.

Ibid. 15.

dicum

dicium. Nec tantum anima mundi rebus exuta videre appetit, sed etiam videri a Domino cōcupiscit. Quid enim videri non cupiat, quae in se innumerabilia Dei dona experitur, quibus oculis diuinis placat odium leuis? morum etiam peccatorum, confessionem virtutum, desideria sanctitatis? In quam sententiam pulchre Richardus. Sed forte haec Dei sponsa, haec Dei dilecta videre cupiebat, videri refugiebat. Et ubi est quod & alibi clamabat: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? ] O quantus amor, quanta fiducia! Amor, inquam, pulchritudinis diuinæ fiducia formæ, non alienæ, sed propria. Tantus amor, ut dicat: Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum semper speravi. ] Et alibi affirmat, dicens, quia defecit spiritus meus. ] Tanta præterea formositas interna fiducia erat, ut omnino impossibile credat, ut videatur, & non diligatur. ] Sic ille. Cupit ergo anima in hoc statu, tamquam amatrix præsentiam Dei, cupit etiam & ipso perfici, ad hoc ergo carnales voluptates abiecit, ut cœlestes, & diuinæ acciperet, ad hoc mundi complexus ablegavit, ut Dei complexus experiretur, ad hoc desideria rerum temporalium extinxit, ut sponsi dulcissimi desideris arderet. Haec anima amans (ut inquit Bernardus) votis fertur, trahitur desideriis, dissimilat merita, maiestati oculos claudit, operit volupati, ponens in salutari, fiducialiter agens in eo. Intrepida denique & inuercunda reuocat verbum, & cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans, non Dominum, sed dictum. ] Merito igitur, o anima religiosa, dictum est tibi a domino: Vidi te, & ecce tempus tuum, tempus amantium. ] Quoniam in statum amantium euæta es, in domum diuinæ amoris adducta, ad exercitationem amorum vocata, ad delicias purissimi amoris illæta. si tamen post vietas concupiscentias tuas, nouisti ingredi intra te, & sanctis cogitationibus ac desideriis occupari.

### De protectione Dei erga religiosos, & quibus rationibus cognoscatur.

#### C A P V T   X X I .

**M**A G N U M quidem bonum est vitam religiosam colentes tempus amantium, fuisse fortitos, & a statu seruorum, in statum, non tantum amicorum, verum etiam amicissimorum fuisse translatos, sed non est minus donum Dei, quod statim ipse Dominus per nostrum prophetam commemorat, icilicet, diuina erga nostrum statum protectione. Cuius iure optimo post statum amantium mentio habita est, quoniam ea, quæ impense amamus, majori cura ac diligentia custodiare, atque defendere consuevimus. Expandi (inquit) amictum meum super te, & operui ignominiam tuam. ] Hic amicus Domini, expansus, anima nuditatem & ignominiam operiens, eximiam quamdam prouidentiam religiosorum, nec nō specialem protectionem designat. Liceat enim Deus omnium rerum habeat prouidentiam, adeò, ut dicat: Nonne duo passeres a te venient, & unus ex illis nō cadet super terram sine latre vestro? Habet tamē multò maiorem, magisque specialem corū quos ad te vocavit, & in hunc statum amantium adduxit. Hos amicos suos cooperit, quo ipse amicitur, illo scilicet, cuius meminit propheta regius, cum ait: Confessionem, & deorem induisti, amicus lumine sicut vestimento.]

Ezechiel  
16,8.

Math.  
10,29.

Psal. 103,  
2.

A Nónne hic Dei amicus est sua maiestas, atque potentia, qua laudabilis & gloriösus est? Sed hac illos mirabiliter tegit, quos in suam domum, nempe religionem euocavit. Quemadmodum enim rei, qui delictorum causa ad Ecclesiam confugiunt, ciuibus & Ecclesiasticis legibus statuentibus, Dei reverentia proteguntur, ne a iudicibus capiantur, & suorum delictorum penas exoluant: ita ad vitam religiosam euolantes, hac Dei maiestate protecti sunt, nō à demonibus, tentationum nexibus irretiatur, sed ab eterno carcere reddantur immunes.

Sed ex sententia Beati Gregorij, hic Dei amicus, nihil aliud est quam Angelorum Sanctorumque custodia. Ipse (inquit) speciosis induit vestibus, quia Sanctorum Angelorum choros, quos condidit, in usum sui decoris assumptus, & veluti quandam vestimentum gloriosam sibi Ecclesiam exhibet, nō habet omni rugam, aut maculam. Vnde ei per prophetam dicitur: Confessionem, & deorem induisti, amicus lumine sicut vestimento. ] Hic quippe confessionem induit, illuc deorem, quia quos hic per penitentiam confessores fecerit, illuc fulgentes per deorem institutæ ostendit. ] Hoc autem amicu animam religiosam Deus cooperit, quia sanctorum, & perfectorum, inter quos haec anima uiuit, exemplis, & orationibus defenditur, & Angelorum, quorum vitam imitatur, viribus ac potentia fulcit. Expedit ergo Dominus amicum super illam, cuius imbecillitat, sua maiestate & potentia sultentat, cuius ignorantiam sanctorum vita ac moribus informat, cuius proteruiam Angelorum consiliis emollit.

Videamus tamen, quam sit status religiosus a diuina potestate, & ab Angelorum cuneis protectus. Hoc quidem ostendit ipius loci natura. Est enim religio veluti specula, ex qua quid hostes virtutis moliantur spectamus. Est locus eminens, vnde mundi larvæ, seculi personas, & malorum tragedias inspicimus. Est portus, ad quem à tempestate passionum nostrarum confugimus. Est nodus nos libenter excipiens, & ab auxib[us] defendens, de quibus ait Ieremias: Quia inueniunt sunt in populo meo impij infidientes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad sapiendo viros. ] Quis autem non videat haec omnia defensionem maximam pre se ferre, requiem promittere, securitatem designare?

Est religio tabernaculum a Deo stratum, quod ut est apud Isaiam: Erit nobis in umbra tabernaculi dei ab æstu, & in securitatem & absconditionem à turbis, & à pluvia. ] In eo enim ab æstu cupiditatum liberarum, & à turbine temptationum, & pluvia distractionum abscondimur, quæ domum cordis paulatim euertunt, ita ut nec vestigium quidem pacis, & tranquillitatis relinquat. Est religio cubiculum summi principis Christi, in quod nos infirmos, & imbecillos recipit, vt ab inimicis nostris tutos incolu[m]e que cultiati. De quo regius propheta canit: Abscondes eos in absconditione faciei tua, a conturbatione hothini. ] Sumus quippe absconditi in facie Dei, dum in eius conclave habitamus, & in eius præsencia, & coram ipsis oculis vitam actionemque traducimus. Est tamen religio ciuitas fugitivorum, in qua non tantum securi uiuimus, & nec eorum iniuriam quos læsimus, nec a iudice penas illatas timemus, verum etiam alios protegimus, & ab ira diuina, nostra oratione defendimus. Ciuitates enim fugitivorum, in quibus religiosi cœtus signati sunt, Leuitus, id est, fugientibus a seculo, date sunt, ut & ipsi securi in eis vitam degant, & aduenientibus securitatem impertiantur. Recte enim (ut inquit Ambrosius) fugaces fugacibus commedauit

Greg. Lib.  
32. in Lib  
c.7.

Psalm 103.  
2.

Ierem. 5.  
26.

Isa. 40.

Psalm. 30.  
21.

Amb. Lib.  
de fuga sa  
culic. 2.

**A**eternæ legis sanctio, vt qui hunc mundum obli-  
sunt, eos recipiant, qui peccata sua condemnantes,  
atque opera, obliuionē vitæ superioris expectent, &  
secularia, quæ gesserint, abolere desiderent.]

**B**Quam igitur securus status is, qui non solum sibi  
securus est, sed aliis etiam ad illum fugientibus, securi-  
tatem impartiuit. Hoc sane est, quod per Sophoniam promittit Dominus Ecclesie sua: Quia tunc  
auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuae, &  
non adicies exaltari amplius in monte sancto meo;  
& derelinquā in medio tui populum pauperem, &  
egenum, & sperabunt in nomine Domini. ] Tollit  
Dominus ab Ecclesia sua magniloquos superbiæ sue,  
cum homines arrogantes, & ambitiosos remouent,  
qui vt laudem humanam, & cōcupitos honores au-  
cupentur, suos auditores laudant, atque magnifi-  
cant, & non peccatorum populi increpationem, sed  
ea, quibus populus delebetur, & admiretur, per-  
sonant. Aufert superbiæ occasionem, qua nonnulli de  
fide tantum mortua, & operibus vacua gloriantur:  
dum hos magniloquos exturbat tamquam nescien-  
tes veram virtutem edocere, & in quibus sit gloriā-  
dum aperire. Relinquit tamen in medio congrega-  
tionis fidelium, quam ab initio posedit, populum  
pauperem, & egenum, viros pauperes spiritu, qui  
cū non defuit exequendi sui desiderij facultas, di-  
uinitias abiecierunt, omnibusque rebus mūdanis, imò  
& propria se voluntate nudarunt, vt tamquam veri  
sapientes viam cœli docerent, & tamquam expediti  
milites populos sua præsentia defenderent, & ora-  
tione, consiliis, exemplisque fulcirent. Nec mirum  
est, quod isti pauperes, & humiles sint Ecclesia de-  
fenſio, quia sperant in nomine Domini, & non in  
sua virtute confidunt. O igitur magna misericordia  
Dei in statum religiosum collata, quem ita amictu  
sua cooperit, ita prouidentia gubernat, ita potentia  
defendit, vt per ipsum ciuitates, regna, nationesque  
defendat. Itæ est eius promissio, qua Abrahæ po-  
llicitus est se propter decē homines iustos Sodomæ  
pârsurum; quia propter religiosorum turmas in de-  
nario numero perfectione denotatæ signatas, multis  
peccatoribus parcit, & malorum delicta ad tempus  
diffimulat, vel vt conuertantur, patienter expectat.

**C**Hanc diuinam protectionem conditio ipsa reli-  
giosorum declarat. Hi enim cū ad perfectionem  
aspirent, & non quolibet gradu virtutis satientur, in  
diēsque proficeret studeant, & ad maiore fæcilitate  
venire sentinet. in magno pretio sunt apud eum.  
Quisque autem paterfamilias, si recte suum munus  
exequitur, maiorem curā & prouidentiam habet rei  
pretiosioris, & sibi charioris, quā alterius, quæ neq;  
est æquæ pretiosa, nec sibi tā grata: Deus igitur, qui  
omnes sapiētia, & regiminis perfectione vincit, ma-  
iori cura, & prouidētia prosequitur istorum, quos veluti  
magis sui similes vñice amat, quā alios, quorū vita,  
nō rebus cœlestibus cœscrata, sed temporalibus curis,  
& expletione propriæ volūtatis addicta, nec tācum  
amorem, nec tantam curam, & diligētiā meretur.

**D**Liceat mihi inter communes iustos, qui sepe ca-  
dunt, & surgunt, Deique amicitiam vt cūque cō-  
seruant, & inter perfectos viros, quales omnes reli-  
giosi esse debent, hoc discrīmon inducere, quod illi  
sunt veluti aureæ monetæ magni valoris, isti vero  
sunt gēmae pretiosæ, quarum vnaquæque pretio, &  
valore multas aureas monetas exuperat. Ut ergo  
prudens mercator maiorem curam habet vnius gē-  
mae, vt carbunculi, aut adamatis, quam multorum au-  
reorum, quia maior est illius, quam omnium istorum  
iactura: ita Deus majorē rationem habet vnius reli-  
giosi, perfecti, qui suo statui se accōmodas cœlestem

**E**vitam agit in terris, quam multorum aliorum, qui tam-  
quam communes denati aliquid virtute valent, sed  
non multum valent. Illorum re vera non solum magis  
amat, & maiori prouidētia, circundat, vt fidelissimum,  
& dulcissimum filium, sed etiam tribuit illi internā  
pacem, & trāquillitatem, animum omni metu libe-  
rum, prouidētia illius specialioris insigne. Verissime  
enim Sanctus Prosper exclamat. O quantū securita-  
tis habent, qui sibi bene sunt conciij, & quantum  
perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati.  
Sicut isti (loquitur autem de primis parentibus) se  
absconderunt à facie Domini, de sua turpitudine, nō  
de nuditate confusi, qui non idē erubescerunt, quia  
veste erant extrinsecus nudi, sed quia intrinsecus  
protectione diuina nudati. ] Isti amici Dei cooperi-  
ti, suum adiutorum cognoscentes, ad nullius tenta-  
tionis pauent occursum, nec malevolos timent, nec  
detractores horrent, nec hostes formidant, solum  
peccatum, etiam leuisissimum, & Dei sui, non dicam  
injuriam, sed displicientiam pertimescent.

**F**Reliquerunt religiosi omnia, deseruerūt propter  
Deum vniuersa, quæ homines solēt protegere, diui-  
tias, possessiones, amicos, cognatos, parētes, & nudi,  
atque omni mundano præsidio spoliati, remanserūt.  
Quid ni Deus illos tueatur, cuius causa tātam nuditi-  
tatem sustinet, tantumque desertionem perferunt?  
Hoc in illo patre multarum genitum præfiguratum  
est, qui cū imperio Domini exiſset de terra sua, & de  
cognitione sua, & de domo patris sui, & venisset in  
terram sibi monstratam, audiuit à Domino: Noli ti-  
mere, Abrahæ, ego protēctōr tuus sum, & merces tua  
magna nimis. ] O felix exitus, qui ipsum Deum acci-  
pit in mercedem! O beatus egressus, qui talē mere-  
tur dēfēctōr! Ego (inquit) protēctōr tuus sum. ] Qui-  
que religiosus hāc vocem tamquam sibi dictam audiat,  
hāc promissiōnē, veluti sibi factā accipiat, & vt  
in illa magis exultet, verbis Chrysostomi suo statui  
accōmodatis amplificet. Ego, qui à Chaldais te vo-  
caui, ego, qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ä-  
gypti liberaui, ego qui semel, atq; iterū promisi tibi,  
atq; semini tuo daturū me terrā hanc: Ego te pro-  
tegō. Ego, qui in dies magis & magis omnibus te clau-  
rū oīdeō; ego protego te, hoc cū ego, scuti vice tibi  
ero, ego pro te certo, ego propugnator tio, ego curā  
gero, ego omnia difficulta, facilia tibi reddā. ] Ita est,  
Domine, nō infiōr, ex quo seculum deseruit, tu ex-  
pandis amici tuum super me, & protegis me, tu me  
à tentationib⁹ liberasti, ab illis præcipue magis per-  
iculosis, quæ sub specie boni me oppugnabant, tu  
me ab occasionib⁹ eripuisti, in quibus, aut vitā ani-  
ma, aut profectū amitebam, tu paupertatem feci-  
sti iucundam, vt eam amarem, calitatem reddidi-  
sti facilem, vt eam amplecteret, obedientiam ostēdi-  
sti lauacrum, & homine libero dignam, vt ei collum  
subiicerem. Quæ mihi incōmodiora, & molestiora  
vīsa sunt, inde meā requiem, & tranquillitatē eli-  
cuisti: Dulcia mundi in amara, & amara sanctæ domi-  
ni mea in dulcia, & suauia conuertisti. Cella mihi  
videtur cœlum, solitudo appetet dulcis societas, as-  
fidius labor versus est in vacationem, asperitas vi-  
ctus, & vestis, omnibus deliciis, & voluptatibus ap-  
paret iucundior, nihil difficile, nihil ardū, sed omnia  
prona, omnia facilia in hoc statu reperi. Quid  
hac omnia, Domine, sunt, nisi tua protectionis in-  
dicia? Quid nisi super me tui amicius expatio? Quid  
nisi tui amoris pignus dulcissimum? Coniector enim  
ex his, quod amas me, Nam vniuerſia, quæ poterant  
me abstrahere à te, in ansam ad te veniens com-  
mutati, & scriptum inuenio, Quoniam diligenti-  
bus Deum, omnia cooperantur in bonum.]

Prop. lib.  
2. de vita  
concep. c. 18.

Gen. 12.

Gen. 15.

Chrys. ho.  
36. in Ge-  
nes.

Dent. 29.  
5.

Habitan etiam religiosi desertum amore Dei, vt ibi nec leuis peccatis ( quoad fieri possit ) vitam commaculent. Quælibet enim sancta religio desertum quoddam est, in quo spiritualis Israëlitæ peregrinantur. In ea namque, sicut in spirituali deserto, maior est libertas vacandi Deo, quia non sunt sacerdotales occupationes, quæ animum interpellent, maior est quoque tranquillitas: nam modò religiosi ve-  
lint, nec à visu, nec ab auditu, neque à lingua molestantur. Quid enim infestent eos oculi, quos semper humi defixos habere docent? Qui aures, quas vanis rumoribus occlusas seruare tenentur? Quid lingua, quam ligat distracti silentij censura? Eremus ille. Ägypto terraque promissionis interiacens, ciborum corruptibilium sterilis erat, sed cibum incorruptibilem è celo demisum, peregrinanti populo suppeditabat: Ita religio, qualis eremus quidam vita mortali aternaque interiectus, commodis temporalibus caret, sed coelestibus solatis abundat. Qui ergo hoc desertum spirituali incolunt, non minus quam illi carnales Isralitæ, sed multò magis diuina protectione teguntur, diuinisque frumentis auxiliis. His vestimentis eorum non sunt attrita, quia corpora inter discipline religiosæ labores robustiora sunt, quam si deliciis affluerent, nec calceamenta sunt vetustate consumpta, quia affectus non rebus hærent corruptilibus, vbi veterascunt: sed coelestibus, à quibus in dies nouitatem conquirunt. Panne Angelorum satiantur, contemplatione scilicet rerum diuinarum, cuius esu fortes aduersus demones, & robusti ad quærendam perfectionem sunt. Coluna nubis per diem, & ignis flammantis per noctem illis ducatum præbet, cum inter magnos honores, & applausus populorum, quos religiosi habere noscuntur, nube modestiæ ac humilitatis obteguntur, ne æstu vanitatis superbiant, & desideriis dignitatum inflammentur, & vt, cum inter inuidorum detractiones, & malevolorum persecutions igne charitatis illustrantur, inimicos tamquam artifices coronaæ coelestis aspiciant, & amore verissimo prosequantur. Si vero ab ignitis serpentibus, ab aliquo nempe vano desiderio mordeantur, non deest

A illis serpens æneus, aut quem ille serpens figurabat? Christus nudus, vulneratus, & patibulo affixus, cuius aspectu venenum concupiscentiæ abiiciunt, pristinamque salutem recuperant:

In hoc itaque spirituali deserto Deus parvulos suos viros humiles, & sua prouidentiæ fidentes, ita à malis liberat, & ab omnibus periculis, tum corporalibus, tum spiritualibus illibatos intactosque conseruat, vt manifestissime videant, se non manu hominis, in deo potissimum brachio defendi. Non est enim humana potestia, sed diuina potestatis religionum amatores, atque beneficos, beneficiis cumulare, dextrae vero, atq; maleficos multis miseriis, ac calamitatibus afficere, quod & antiquæ historiæ, & quotidiana experientia demonstrant. Non dubium, quin religiosorum cœtus iure sibi dictum existimet: Benedic tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus: benedicam benedicti-  
bus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. ] Quoniam saepè vidimus, & audiuius status defensores magnis Dei donis expletos, persecutores vero, maledictione diuina fuisse consumptos. Gaudet igitur, & maximè gaudet, qui professione ligatus, & tribus votis copeditus, vel ut melius dicam, omni materia peccandi liberatus, in deserto sanctæ religionis viuit: quoniam si ad proprium eorū intrare noverit, in se ipso illud Deuteronomij experietur. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ soliditudinis. Circuduxit eum, & docuit, & custodiuimus quasi pupillam oculi sui. ] In hoc enim deserto malorum, pleno autem bonoru inueniet Deum potentissimum defensorem, qui se ducat securè ad opera exterioria, & reducat cum fructu ad interioria, qui se doceat vias virtutum, & semitas aeternitatis demonstrat, & qui tamquam pupillam oculi sti charissimam ab omni malo custodiat. Inuenies eum, ô anima, qui expandat amictum protectionis sua super te, & operiat ignominiam, id est, imbecillitatem tuam: quia pauperum nuditas, humilium imbecillitas, & despœctum parvitas, amictu diuinæ defensionis cœperta, omni est mundano imperio posterior.

Gen. 12.  
2.Dent. 3.  
10.Ezechiel.  
c. 16.8.

## PARS TERTIA.

### De sublimitate vitæ Religiosæ.

**N**ON NVL L Aiam bona in superioribus nostri status expressimus, à quibus, quæ sequuntur, merito separamus, tum vt mens lectoris fatigata, à laetitudine legendi repauset, tum vt ea illustriora demonstremus, quæ preter ingentem utilitatem, magnam etiam sublimitatem animæ afferunt, & velut pars præmij huius status, & finis aliorum donorum esse videntur. Hæc vero, quæ ad unionem animæ cum Deo, & ad verissimum honorem ex ipsa sequuntur, spectant, idem Sanctus Propheta hunc in modum commemorat, Et iurauit tibi, & ingressus sum pactum tecum: ait Dominus Deus: & facta es mihi. Et lauite aqua, & emundauit sanguinem tuum ex te: & vnxii te oleo, & vestiui te discoloribus, & calceauit te ianthino: & cinxi te bysso, & indui te subtilibus: & ornauit te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multicoloribus: similam, & mel, &